UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

# Cornelii Iansenii Episcopi Iprensis Avgvstinvs

In Qvo Genuina sententia S. Avgvstini de humanæ naturæ stantis, lapsæ, puræ statu & viribus eruitur & explicatur

**Jansenius, Cornelius**

**Lovanii, 1640**

De Statv Pvrae Natvrae. Liber III. Transitus ad miserias corporis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13673

Visual Library

# CORNELII IANSENII
## EPISCOPI IPRENSIS
# DE STATV PVRÆ NATVRÆ
## LIBER TERTIVS.
### Tranſitus ad miſerias corporis.

## CAPVT PRIMVM.
### Quid de illis, & quibuſvis etiam ætern damnationis malis innocentiæ irrogandis ſentiant quidam.

A OPPVGNAVIMVS hactenùs puræ naturæ ſtatum ex affectibus ſolius animæ: nunc videndum, quid adverſùs eum etiam ipſius corporis conditio ſuppeditet. Nec enim ſine ratione, ſicut videri poſſent, tot tantæque mortalitatis noſtræ calamitates, quibus à primis fletibus naſcentium uſque ad extremos gemitus morientium vita noſtra conteritur, ipſaque mors malorum omnium terribiliſſimum, neſcio quid divinæ bonitati vel juſtitiæ contrarium continere, ut ea non poſſet innocenti creaturę ſuæ ſine merito præcedentis iniquitatis infligere. Nam quamvis iſta mala creaturã non malam, quemadmodum aliqua ex præcedentibus, ſed miſeram dumtaxat faciant; nec eam Deus illorum irrogatione ad peccandum quoquo modo incitare cenſeatur, B non tamen idcirco in hujuſmodi malis infligendis, Deo quidlibet circa ſuam licere creaturam credi fas eſt. Sunt enim & alia Dei attributa, quàm ſolius bonitatis, adverſus quæ ſiquid liberâ ſuâ voluntate tentaverit, non minùs à ſua veritate, hoc eſt, à ſemetipſo excidere videatur. Nec enim minùs vitioſum eſt eſſe propriæ quam alienæ perverſitatis autorem. Quapropter juxta ſanctiſſimi Doctoris profundiſsimique principia diligenter exquirendum eſt, utrum Deus ſine præjudicio juſtitiæ bonitatiſque ſuæ, tam horrenda mala, quorum locupletiſsimum eſt in quolibet naturæ ſive puræ ſive lapſæ ſtatu mortalitas iſta ſeminarium, innocenti creaturæ rationali poſſit irrogare. Et quia non infimum iſtarum miſeriarum locum tenent etiam iſta ignorantia & libido de quibus jam antea diſſeruimus, de illis hæc quoque quæſtio, non quatenus malum, ſed quatenus miſerũ faciunt, intelligi C debet. Cujus operæ ſi veritas deprehendi certa poteſt, tantò majus fuerit pretium, quantò ſecuriùs totum iſtum miſeriarum cumulum à Deo Creatore citra culpam creaturæ multi docent poſſe proficiſci. Quod quidem, utcunque tolerabile videri poſſet, oculos hominum ipsâ conſuetudine malorum quaſi jam miſeris familiarium faſcinante, niſi iiſdem principiis nixi quidam, divinæ juſtitiæ æquitatem atque ſinceritatem miris perturbaſſent modis. Quaſi namque cum Atheis, vel cum iis qui cum Deo bellum juravére, de abſurditatis & immanitatis palma contenderent, ita nullum crudelitatis genus ab ullo tyranno excogitatum fuit, quod non Deum in creaturã ſuam innocentem exercere poſſe docuerunt.

Nam ut nihil de illo dicam, quod ſtatuunt Deum poſſe non punire peccata, quod faciliùs in bonum ſenſum accipi poteſt, eo uſque quidam progrediuntur, ut dicant, *Abſoluta ſua potentia efficere poſſe Deum, ut homo iuſtus nunquam peccet, nec fruatur æterna gloria; & peccator non puniatur æterno ſupplicio, quin imò ei detur æterna beatitudo.* Quod verò omnem horrorem ſuperat, addunt adhuc, *Deum ſine iniuſtitia poſſe hominem voluntate ſuâ æternis cruciatibus mancipare*: poſſe *homini peccatori ſine iniuſtitia quodcunque malum inferre, vel ultra meritum culpæ vel etiam ſine culpa.* Nec hoc ſatis, *Deum quidlibet de rebus ſtatuat, iure facere ſuo, etiamſi perdat, damnet, in nihilum redigat.* Denique ut coronidem imponant pietati vel eruditioni ſuæ, ſi Deus *beatos*, inquiunt, *omnes, nullo excepto aut ad æternas deiiceret pœnas, aut redigeret in nihilum, nullam eis iniuriam faceret.* Et iſtud totum, *hoc nomine dumtaxat quia Dominium abſolutum habet*, quia eſt *ſupremus omnium Dominus; quia eſt autor vitæ & mortis.* Quid immanius & horribilius de divina juſtitia dici poſſet, fateor, non intelligo. Hoc tamen mihi videtur veraciter poſſe dici, quod ſi iſta doctrina de Deo vera eſt, alius ab Aug. & antiquitate cultus eſt Deus quam iſti colunt: Sin falſa, miſerabili errore, ut nihil deteriùs dicam, populus Chriſtianus per iſta ſententiarũ portenta deluditur. Quod ne lectori temerè dictum videatur perſpicuâ conſtantique S. Aug. doctrinam de præcipuis eorum pronunciatis, ſi Deus adſit conatibus noſtris, producturi ſumus, eo videlicet hujus operis ſuſcepti ſcopo ut faciliùs ac liquidiùs cõſtare poſſit quid de puræ naturæ miſeriis ſtatuere debeamus.

CAPVT

# CAPVT SECVNDVM.

## Peccatum non poteſt non puniri à Deo.

AC primò quidem quod ad illud pronunciatum attinet, quod Deus poſſet peccata quibus ab eo conſtitutus ordo perturbatur, impunita ſinere, in omnibus pœnè ſcriptis ſuis Auguſtinus velut paradoxum improbat, quod cum divina juſtitia conciliari nequit. Quod quamvis Recentioribus non paucis Dei miſericordiam duntaxat benignitatemque conſiderantibus, incredibile forsan videatur, ita tamen ſe habere quilibet non ſupinus lector confitebitur, ſi ſuis momentis Auguſtini doctrinam ſæpenumero repetitam expenderit, & rationes ejus æquâ lance libraverit. Quid enim aliud ſibi vult id quod apertiſſime dicit de humana natura: *Ideò quippe & hæc magni boni natura eſt, quia & hoc accepit, ut poſſet ſummi boni adhærere naturæ. Quod ſi noluerit bono ſe privat; & hoc ei malum eſt. Unde per juſtitiam Dei, etiam cruciatus conſequitur. Quid enim tam iniquum, quam ut benè ſit deſertori boni? Neque ullo modo fieri poteſt, ut ita ſit: ſed aliquando amiſſi ſuperioris boni non ſentitur malum, cum habetur quod amatum eſt, inferius bonum. Sed divina juſtitia eſt, ut qui voluntate amiſit, quod amare debuit, amittat cum dolore quod amavit, dum naturarum creator ubique laudetur.* Et in Pſalmum quadrageſimum ſecundum: *Peccare volebas, & laborare nolebas, ut parùm tibi eſſet quod eſſes injuſtus: niſi & eum (Deum) injuſtum eſſe voluiſſes à quo in te vindicari noluiſſes.* Quid vult aliud illud luculentiſsimum in Pſalmum quadrageſimum quartum: *Peccatum punitum eſt, quia virga directionis eſt virga regni ipſius, ſed non poteſt ut non puniat peccatum. Puniendum eſt peccatum; ſi puniendum non eſſet nec peccatum eſſet. Converte te ad punienda peccata tua, quia impunita eſſe peccata non poſſunt.* Et illud in Pſalmum quinquageſimum octavum diſertiſsimum: *Iniquitas enim parva magnave ſit, puniatur neceſſe eſt. Non poteſt impunitum relinqui peccatum, quia verum eſt; non miſereris omnium operantium iniquitatem.* Et in ſecunda Concione; *Tales eos quærit diabolus perducere, quos neceſſe ſit ut damnet quia juſtus eſt.* Et in Pſalmum octogeſimum: *Et erunt impuniti peccatores? Abſit. Non ſibi tantum de Dei miſericordia blandiantur, ut ſibi etiam injuſtitiam ejus polliceantur.* Et in Sermone, quem ad populum habuit: *Si peccatum impunitum remaneat, injuſtum eſt, ergò ſine dubitatione puniendum.* Et in lib. de decem Chordis de illis hominibus qui cogitando optant ut Deus det omnibus indulgentiam, ignoſcat omnibus, neminem mittat in gehennam, ita loquitur: *Iam quia iniquus eſt, iniquum vult eſſe Deum. Vult te Deus facere ſimilem ſui, & tu conaris Deum facere ſimilem tui &c. Perverſus es, & talem vis eſſe Deum qualis es, non qualis eſt.* Qua de cauſa ſæpè tradit omninò neceſſarium eſſe, ut poſt peccatum comitetur miſeria, juxta illud in libris de Civitate Dei: *Si neglectis melioribus quæ ad ſupernam pertinent civitatem, bona iſta ſic concupiſcuntur, ut vel ſola eſſe credantur, vel his quæ meliora creduntur, amplius diligantur, neceſſe eſt miſeria conſequatur, & quæ inerat, augeatur.* Quam doctrinam adverſus Manichæos ſæpiùs premit. Hæc ſanè tam urgentia, tam abſoluta, tam præciſa, quod eſſet iniquum, quod injuſtum, quod impoſſibile non punire peccatum; quod Deus eſſet injuſtus niſi puniret; quod peccatum non eſſet peccatum niſi puniretur, evidenter ſanè demonſtrant, Auguſtinum non magis hac de re quàm de rebus exploratiſſimis in Eccleſia Chriſtiana & principijs primò veris fluctuare.

Quod ſi rationem ponderare voluerimus cui tota iſtius doctrinæ moles incumbit, inveniemus illam puniendi neceſſitatem, non inde naſci, quod Deus ità peculiari aliqua voluntate conſtituerit, ſed ex ipſa legis æternæ ſanctione, contra quam Deus non magis quàm contra ſeipſum facere poteſt, cum illa non ſit aliud quàm ipſa æterna & immutabilis ratio & voluntas Dei, ſeu, ut expreſſius loquar ipſe immutabilis Deus. Lex enim æterna eſt illa, uti definit Auguſtinus, *qua juſtum eſt, ut omnia ſint ordinatiſſima.* Hæc non minus eſt ſtabilis quam ipſe Deus, neque enim, ut idem ait, *ulla vis, ullus caſus, ulla rerum labes unquam effecerit ut juſtum non ſit omnia eſſe ordinatiſſima.* Porrò ordinatiſſimum eſt, ut quemadmodum juſtis beatitudo ita peccantibus pœna, hoc eſt, miſeria debeatur. *Lex enim æterna & ſumma ratio, cui ſemper obtemperandum,* eſt illa *per quam,* inquit idem, *mali miſeriam, boni beatam vitam merentur.* Nec enim inordinatum unquam aut *injuſtum eſſe poteſt, ut mali miſeri, boni beati ſint.* Si vi legis æternæ eſt ordinatiſſimum & juſtiſſimum, ut mali miſeri ſint, impoſſibile eſt, ut peccata non dico in totam æternitatem, ſed vel ad unum momentum impunita permaneant. Hoc enim ipſum jam erit contra illam æternam legem, quæ tanquam ordinatiſſimum ſtatuit, ut miſeria peccata comitetur.

Accedit aliud, quod, cùm eadem lex illa æterna non ſit aliud juxta ſolemniſſimam definitionem Auguſtini, quam *ratio divina vel voluntas Dei ordinem naturalem conſervari jubens, perturbari vetans,* omnia peccata contra illam æternam legem committuntur. Nullum eſt enim peccatum per quod non ordo rerum naturalis creaturæ erga creatorem, quem Deus conſtituit, perturbetur; eodem Auguſtino dicente: Homo iniquus *quantum in ipſo eſt, perturbat in ſe ordinem naturalem, quem lex æterna conſtituit.* Nihil autem ordinatius in univerſo & pulchrius eſſe poteſt, quam ut violatus ordo reſtauretur. Cùm ergò cuncta Dei opera

ſint

Margin notes: Lib. 12. de Civit. lib. 12. c. 3. — In Pſal. 42. — In Pſal. 44. — In Pſal. 58. — In Pſal. 80. — In append. Serm. de diverſis. — Lib. de 10. Chord. c. 3. — Lib. 15. de Civit. c. 4. — Lib. 1. de lib. arb. c. 6. — Ibidem. — Lib. 22. cont. Fauſt. c. 27. — Ibid. c. 78.

ſint ordinatiſſima impoſſibile eſt, ut ordinem illum impunè violatum eſſe permittat. Pœna eſt quâ perturbatus ordo reſtituitur, juxta Lib. 3. de lib arb. c. 9. illud Auguſtini: *Corruptio voluntaria quæ in peccato ſit, turpis affectio eſt: cui propterea pœnalis adhibetur, ut ordinet eam, ubi talem eſſe non turpe ſit, & decori univerſitatis congruere cogat, ut peccati dedecus emendet pœna peccati.* Et infra: Cap. 10. *Nec fieri ullo modo poteſt, ut Dei ſummi & veri perfecta juſtitia, quæ uſquequaque pertenditur, deſerat etiam ordinandas ruinas peccantium.* Iſta quippe ruinarum ordinatio in eo ſita eſt, ut cadentium turpitudinem emendet pœna peccati. Quam doctrinam diverſis locis conſtanter tradit, ita Deum docens eſſe *ordinatorem peccatorum* per ju- Lib. 22. cont. Fauſt. c. 78. dicium juſtitiæ ſuæ, *ut ea quæ peccata non eſſent, niſi contra naturam eſſent, ſic judicentur ut ordinentur, ne univerſitatis naturam turbare vel turpare permittantur, meritorum ſuorum locis & conditionibus deputata.* Et alibi explicans illam ordina- B tionem. Lib. de nat. boni c. 7. *Peccata*, inquit, *in ſuppliciis ordinantur, quæ ordinatio quia eorum naturæ non competit, ideò pœna eſt; ſed quia culpæ competit, ideò juſtitia eſt.*

Sed nequis forte in iſta tota ratiocinatione, quarum omnes propoſitiones ex fundamentalibus Auguſtinianæ doctrinæ pronuntiatis textæ ſunt, me falli arbitretur, operæ pretium eſt ipſum Doctorem ſublimiſſimum in eandem ſententiam diverſis locis audire eâ de re tanquam ſibi exploratiſſima certiſſimaq; diſſerentem. Sic ergò doctrinam iſtam tradit adverſus Manichæos, cùm præmiſiſſet nihil con- Lib. 26. cont. Fauſt. c. 3. tra naturam Deum facere: *Sed*, inquit, *nec ipſe homo contra naturam quicquam facit, niſi cùm peccat, qui tamen ſupplicio redigitur ad naturam. Ad naturalem quippe juſtitiæ ordinem pertinet, ut aut peccata non fiant, aut impunita eſſe non valeant: quodlibet horum ſit, naturalis ordo ſervatur ſi non ab anima, certè à Deo.* Vides hic naturalem C ordinem poſtulare, ut ſi fiant, peccata puniantur: nimirum, ut ipsâ illâ punitione præſcriptus ab æterna lege ordo ſervetur. Quem cum anima peccatum peccando violaverit, & in peccato perſeverando, perſeveret violare: à quo & quomodo niſi ab ipſo Deo puniendo naturalis ille ordo ſervabitur? Ille quippe eſt illa ſuprema lex naturæ, quâ talis ordo ſancitus eſt, quem conſervari jubet & perturbari vetat: contra quem ordinem æterna lege præſcriptum, ſicut alios facere vetat, ita nec ipſe facere poteſt. Hoc eſt enim quod adjungit Auguſtinus: Ibid. *Contra naturam non incongruè dicimus aliquid Deum facere, quod facit contra id quod novimus in natura. Hanc enim etiam appellamus naturam, cognitum nobis curſum ſolitumq; naturæ, contra quem Deus cùm aliquid facit, magnalia vel mirabilia nominantur. Contra illam verò ſummam naturæ legem à notitia remotam ſive impiorum, ſive adhuc infirmorum, tam Deus nullo modo facit quam contra ſeipſum non facit.* Cùm ergò ad illam D ſummam naturæ legem pertineat pulchritudo Lib. 1. cont. adverſ. legis & Prophet. c. 5. juſtitiæ, & *ſupplicia peccatorum de juſtitiæ pulchritudine veniant*, quâ naturalis æternæ legis ordo reparatur; tam impoſſibile eſt, ut contra illum ordinem Deus veniat, peccata impunita eſſe A ſinendo, quàm ut contra ſuam æternam legem, hoc eſt, contra ſeipſum veniat. Sed longè uberiùs & explicatiùs hoc ipſum in libris de libero arbitrio docet; *Animæ ſi volunt*, Lib. 3. de lib. arb. c. 9. inquit, *peccant, ſi peccaverint miſeræ fiunt. Si enim peccatis earum detractis, miſeria perſeverat, aut etiam peccata præcedit, rectè deformari dicitur ordo atque adminiſtratio univerſitatis. Rurſus ſi peccata fiant, & deſit miſeria, nihilominus dehoneſtat ordinem iniquitas. Cùm autem non peccantibus adeſt beatitudo, perfecta eſt univerſitas. Cùm verò peccantibus adeſt miſeria, nihilominus perfecta eſt univerſitas.* Nam ut ſtatim adjicit, ideò adhibetur iniquitatis turpitudini pœna, *ut ordinet eam, ubi talem eſſe non turpe ſit, & decori univerſi congruere cogat, ut peccati dedecus emendet pœna peccati.* Quis verò niſi divinæ æquitatis uſquequaque pertendentis imperitus dixerit, eum poſſe permittere, ut turpe ſit univerſum, B turpiſque univerſitatis adminiſtratio? Turpis eſt autem ejus adminiſtratio, ſi peccati iniquitas ita permaneat, ſicut eam & ubi eam eſſe ſit turpe. Quapropter luculentiſſimè explicat in ſubſequentibus quam indivulſa ſit miſeriæ, hoc eſt, pœnæ cum iniquitate colligatio: *A quo*, inquit, *accepit* (natura peccatrix) *poſſe recta facere cùm velit, ab eo accepit, ut* Ibid. *ſit etiam miſera, ſi non fecerit, & beata ſi fecerit. Quia enim nemo ſuperat leges omnipotentis Creatoris, non ſinitur anima non reddere debitum. Aut enim reddit benè utendo quod accepit, aut reddit amittendo quo benè uti noluit. Itaque ſi non reddit faciendo juſtitiam, reddet patiendo miſeriam: quia in utroque verbum illud debiti ſonat. Hoc enim etiam modo dici potuit quod dictum eſt; ſi non reddit faciendo quod debet, reddet patiendo quod debet. Nullo autem temporis intervallo iſta dividuntur, ut quaſi alio tempore non faciat quod debet, & alio patiatur quod debet, ne vel puncto temporis univerſalis pulchritudo turpe-* C *tur, ut ſit in ea peccati dedecus ſine decore vindictæ.* Quod quomodo, & quamobrem fiat, mox præclarè explicando ſubnectit: *Sicut enim* Ibid. *qui non vigilat dormit, ſic quiſquis non facit quod debet, ſine intervallo patitur quod debet: quoniam tanta eſt beatitudo juſtitiæ, ut nemo ab ea niſi ad miſeriam poſſit abſcedere.* Ecce tibi ſimul in pauciſſimis verbis & abſolutam impoſſibilitatem, ut peccatum vindictâ careat, & rationem quare non careat. Vtrumque breviter aperiendum eſt.

Et quidem primum eorum perſpicuè patet, ſi conſideres beatitudinem & miſeriam ita reſpectu creaturæ rationalis eſſe contraria, ut nullum recipiat aut recipere poſſit medium. Quod ex pluribus Auguſtini teſtimoniis ſuprà declaravimus, ubi dicit, *Stultitiam ita contrariam eſſe ſapientiæ, ut mortem vitæ, ut beatam vitam miſeræ, hoc eſt, ſine aliquo medio.* Vſque adeò, ut neget animam eſſe rationalem, *ſi neque beatè neque miſerè vivat.* D Et ratio certiſſima hoc ipſum clamat. Cùm enim nemo beatus ſit, quin vero fruatur bono, tam neceſſe eſt ut hoc ipſo quo non fruitur, miſer ſit, ſicut neceſſe eſt eo frui vel non frui. Iam verò impoſſibile eſt peccantem eſſe bonum, ergò neceſſe

neceſſe eſt eſſe miſerum. Nihil eſt autem aliud puniri quàm miſeriam pati, quam nemo ſub juſto judicio Dei pati, niſi mereatur, poteſt, ſicut hoc iſtis verbis Auguſtinus dicit, & infra ex immobilibus ejus principijs probaturi ſumus. Hoc eſt ergò quod ſolidiſſimè ſuprà dixit Auguſtinus, *Sicut qui non vigilat, dormit, ſic quiſquis non facit quod debet, ſine intervallo patitur quod debet*, hoc eſt, ſimul atque non facit quod debuit, quod nihil eſt aliud quàm peccare, hoc ipſo ſine intervallo miſeriam patiendo punitur. Nam reddere patiendo quod debet, hoc eſt puniri, hoc eſt miſeriam pati. A

Ratio verò cur quiſquis non facit quod debet, hoc eſt quiſquis peccat, ſine intervallo patiatur quod debet, ſeu puniatur, ſicut profundiſſima ab Auguſtino redditur ita non aliter fieri poſſe declarat: *Quoniam*, inquit, *tanta eſt beatitudo juſtitiæ, ut nemo ab ea niſi ad miſeriam poſſit abſcedere.* Quam rationem, ut intelligat Lector, ſcire oportet, Auguſtinum B ſuo & Platonico more de juſtitia loqui, hoc eſt, non de illa qualitate, quæ bona rationalis mentis affectio eſt, ſed de illa divina quæ immutabiliter ſupra mentem fulget, à qua peccando receditur, ad quam acceditur diligendo, hoc eſt, ſumma illa juſtitia quæ eſt Deus. Hoc eſt ergò quod dicere vult Auguſtinus, creaturam rationalem eſſe tam magnum in rebus creatis bonum, ut nullâ re beata eſſe poſſit niſi ſolo Deo, tam magnum autem bonum eſſe Deum, ut nemo ab ejus dilectione quâ ſola beatur, cadere poſſit, niſi in miſeriam. Hanc genuinam ejus eſſe mentem, ex alijs diverſis ejus hac de re teſtimonijs clarioribus patet. Nam idem iſtud apertius dixit in libro de natura boni, quando creaturas præſtantiſſimas ita tractari à Deo docet, *Vt ſi obedientiam conſervare noluerint, quoniam volentes corrumpuntur in peccatis, nolentes corrumpantur in pœnis. Tale quippe bonum eſt Deus, ut nemini eum deſerenti bene ſit; & in rebus à Deo factis tam magnum bonum eſt natura rationalis, ut nullum ſit bonum quo beata ſit niſi Deus.* Hoc idem uberius inculcat in libris de Civitate Dei: *Quamobrem ſi cùm quæritur, quare illi Angeli beati ſint, rectè reſpondetur, quia adhærent Deo: & cùm quæritur, cur iſti ſint miſeri, rectè reſpondetur, quia non adhærent Deo, non eſt creaturæ rationalis vel intellectualis bonum quo beata ſit niſi Deus. Itaque quamvis non omnis beata poſſit eſſe creatura* (quia non irrationalis) *ea tamen quæ poteſt, non ex ſeipſa poteſt, quia ex nihilo creata eſt, ſed ex illo à quo creata eſt.* HOC ENIM ADEPTO C

Lib. de nat. boni c. 7.

Lib. 12. de Civit. c. 1.

BEATA EST, QVO AMISSO MISERA EST. *Ille verò qui non ab alio, ſed ſe ipſo bono beatus eſt, ideò miſer non poteſt eſſe, quia non ſe poteſt amittere.* Et paucis interjectis iterum: *Quamquam ergò ſummæ non ſint, quibus eſt Deus maius bonum, magna ſunt tamen ea mutabilia bona, quæ adhærere poſſunt, ut beata ſint immutabili bono, quod uſque adeò bonum eſt eorum, ut ſine illo miſera eſſe neceſſe ſit.* Quod iterum repetit paulò pòſt, cùm dicit: Naturam illam in tanta creatam eſſe excellentia, ut *non expleat indigentiam ſuam niſi utique beata ſit, eique explendæ non ſufficiat niſi Deus.* His teſtimonijs ſatiatiſſimè inculcatum, lucidiſſimèque ſimul expoſitum vides, ex una parte fieri non poſſe, ut creatura rationalis beata ſit niſi ſolo Deo. Ex altera verò (quod ex priori naſcitur) quia ejus indigentiæ nihil ſufficit niſi Deus, qui peccando deſeritur, impoſſibile eſſe, ut Deum deſerenti creaturæ, hoc eſt peccanti, benè ſit. Hinc ulterius miſeram eſſe, quia non adhæret Deo: & ulterius hoc ipſo amiſſo miſeram eſſe quo adepto beata eſt: denique hoc uſque adeò eſſe bonum ipſius, ut ſine illo miſeram eſſe neceſſe ſit. Quæ doctrina apertiſſimè & irrefragabiliter docet, id quod & paulò ante aſtruximus, nullo modo fieri poſſe, ut inter illa duo, beatitudinem atq; miſeriam, in creatura rationali medium detur. Alterum enim neceſſe eſt, ut vel adhæreat Deo vel non adhæreat; & per hoc, ut ſit vel beata vel miſera. Et nequis errando ſuſpicaretur aliud eſſe miſeram, aliud pœnis obnoxiam, ideò in libro de natura boni præmiſerat, *quia volentes corrumpuntur in peccatis, nolentes corrumpantur in pœnis*, quod mox per miſeriam in quam præcipitantur exponit. Hoc eſt igitur ipſiſſimum illud, quod cùm nullum intervallum inter peccatum & pœnam eſſe docuiſſet, rationem quaſi reddendo ſubjecit. *Quoniam tanta eſt beatitudo juſtitiæ, ut nemo ab ea niſi ad miſeriam poſſit abſcedere*, miſeriam nihil aliud eſſe volens niſi pœnas, in quibus nolentes corrumpuntur. Hoc eſt igitur quod & in libris de Geneſi ad litteram dixit: *Quod ſi noluerit* (adhærere Deo) *bono ſe privat, & hoc ei malum. Vnde per juſtitiam Dei etiam cruciatus conſequitur. Quid enim tam iniquum eſt quam ut bene ſit deſertori boni?* Si nihil eſt tam iniquum, quis vel Atheus dubitaverit fieri non poſſe, quin ille qui vocatur Deus tantæ autor iniquitatis eſſe non poſſit? Quod confeſtim etiam adjicit: *Neque ullo modo fieri poteſt, ut ita ſit.*

Lib. 8. de Geneſi ad litt. c. 14.

CAPVT

# CAPVT TERTIVM.

## Declaratur quænam ſint illæ pœnæ quæ tam arctè cum peccato cohærent.

SED quænam inquies illa pœna eſt, quæ peccato tam adamantinis vinculis nexa cohæret? Hoc enim perturbat conſiderantes, quod videant pœnas illas, quas pænè ſolas vulgus pœnas putat, à peccato ſæpè ſeparari: videant etiam Deum non raro pœnam ignoſcendo dimittere. Quomodo ergò nullo intervallo temporis peccatum & peccati pœna dividuntur? Nonne videmus in futuram vitam quorundam ſupplicia reſervari? Vera, fateor, iſta ſunt; ſed aſſertam ab Auguſtino veritatem nullo modo labefactare poſſunt. Nam quod ad illas pœnas attinet quæ ſervantur in poſterum, manifeſtiores quidem & carnali ſenſui acerbiores, non ſolæ ſunt, quibus peccata in hac vita etiam jam jam commiſſa puniuntur. Nunc enim occultè vindicat in intimis conſcientiæ penetralibus Deus, ubi tantò gravior pœna eſt, quantò dolor interior, & amiſſi boni jactura damnoſior. In futuro verò ſicut judicij ſui æquitatem toti mundo patefaciet, ita conſpicuis pœnis peccata vindicabit. Vnde Auguſtinus cum nullo momento *peccati dedecus eſſe* docuiſſet, *ſine decore vindictæ* ſuſpicioni vulgi præveniendo medetur, *ſed in futurum judicium ſervatur ad manifeſtationem, atque acerrimum ſenſum miſeriæ, quicquid nunc occultiſſimè vindicatur.* Et libro octavo de Geneſi ad litteram huc reſpiciens, cauſamque cur præſentis vitæ pœna ſubinde vix pœna eſſe ſentiatur. *Aliquando*, inquit, *amiſſi ſuperioris boni non ſentitur malum; cum habetur quod amatum eſt inferius bonum. Sed divina juſtitia eſt, ut qui voluntate amiſit quod amare debuit, amittat cum dolore quod amavit, dum naturarum creator ubique laudetur.*

Lib. 3 de lib. arb. c. 16.

Lib. 8. de Geneſi. c. 14.

Ad illud alterum verò, quo dicitur, Deum pro ſua poſſe miſericordia peccata dimittere, facilis reſponſio eſt: ipſam dimiſſionem non ſine punitione pœnitenti tribui, quamvis mitiori, quam delicta mereantur. Sic enim juſtitia & pax oſculantur ſe, dum ſibi occurrunt invicem ſuavitate unius, rigorem alterius temperante. Quo fit, ut Auguſtinus quando peccatum omninò impunitum eſſe non poſſe tradit, duplicem puniendi modum ſuggerere ſolet, ab homine, & à Deo, & ita intellectam doctrinam ſuam eſſe veriſſimam. Audi ſanctiſſimum Doctorem identidem hoc inculcantem: *Quaſi verò Deus impunita peccata eſſe permittat, etiam in eis quos à ſupplicio ſempiterno remiſſione liberat peccatorum. Nullus quippe debitæ gravioris pœnæ accipit veniam, niſi qualemcunque etſi longè minorem quam debeat, ſolverit pœnam: atque ita impartitur largitas miſericordiæ, ut non relinquatur etiam juſtitia diſciplinæ. Nam & peccatum quod inultum videtur, habet pediſequam pœnam ſuam &c.* Itaque ad hanc punitionem hominis adhortari ſolet, ut ſeveritatem Dei pœnitentis evadant: *Non poteſt ut, non puniat peccatum Deus. Puniendum eſt peccatum: ſi puniendum non eſſet, non peccatum eſſet. Præveni illum; non vis ut ipſe puniat, tu puni. Converte te ad punienda peccata tua, quia impunita eſſe peccata non poſſunt. Puniendum ergò erit à te aut ab ipſo.* Et alibi: *Prorſus aut punis, aut punit. Vis non puniat? Puni tu. Nam & illud feciſti quod impunitum eſſe non poſſit.* Et in Sermonibus de diverſis: *Peccatum ſine dubitatione puniendum eſt. Hoc debetur peccato, punitio, damnatio. puniendum eſt peccatum aut à te aut ab ipſo. Si punitur à te, tunc punietur ſine te; ſi verò à te non punitur, tecum punitur.* Ipſe ergò peccati commiſſi dolor pœna peccati eſt. Quam ob cauſam dicit Auguſtinus; *Nihil aliud agit quem veraciter pœnitet, niſi, ut, id quod mali fecerit impunitum eſſe non ſinat.*

Lib. de continent. c. 6.

In Pſal. 44.

In Pſal. 5?.

Serm. 1. de diverſ.

Epiſt. ?

Sed ut ſcrupuli nonnulli eximantur, qui circa peccati punitionem, ſive ab homine pœnitente, ſive à Deo vindicante ab ijs moveri poſſunt, qui difficulter tanti Doctoris autoritati acquieſcunt, niſi ratio ubique prævolet, & fidem extorqueat, operæ pretium eſt oſtendere quænam illæ occultiſſimæ pœnæ ſint, quæ divinæ æquitatis judicio anfractus cordium intimos pervadente, non poſſunt ab iniquitate ſeparari, ut ſimul & pœnarum qualitas & ratio indivulſæ connexionis pateat. Inter illas igitur pœnas prima eſt, horror ac tortura conſcientiæ: *Cum enim ſit timida nequitia, dat teſtimonium condemnationis: ſemper enim præſumit ſæva perturbata conſcientia.* Cujus moleſtia quia ſæpè peccantibus mortis cauſa fuit, ipſa intolerabilior morte & gravior dolor fuit: *Inter omnes tribulationes*, inquit ſanctus Auguſtinus, *animæ humanæ nulla eſt major tribulatio quam conſcientia delictorum.* Et infra: *Quocunque fugerit ſe, talem trahit poſt ſe, & quocunque talem traxerit ſe, cruciat ſe: ſed à ſeipſo ſunt tribulationes, quæ inveniunt hominem nimis. Acerbiores enim non ſunt? Tantò ſunt acerbiores, quantò ſunt interiores.* Hanc autem eſſe peccati comitem individuum, indicat idem ſanctus Doctor adverſus Fauſtum, postquam peccati & pœnæ connexionem explicuerat, puniendoque naturalem rerum ordinem ſervari dixerat, ſi non ab anima certè à Deo: *Vexant enim*, inquit, *peccata conſcientiam, ipſique animo nocent, cum luce juſtitiæ peccando privatur, etiamſi non conſequantur dolores, qui vel corrigendis ingeruntur, vel non correctis ultimi reſervantur.* Sed & illi dolores, inquies, multos deſerunt dum vel obducta callo nihil ſentit conſcientia, vel alijs delicijs delinita mens ſibi etiam gratulatur. Sed nemo, cui mens eſt ſana, non videt illam eſſe graviorem conſcientiæ peccatricis pœnam. Non enim quia durum aliquid ideò rectum eſt, aut quia ſtupidum ideò ſanum. Illa quippe doloris

Lib. 22. cont. Fauſt.

A doloris vacuitas & ſecuritas de ſtupore conſcientiæ non de ſanitate naſcitur. Stupor autem non minus in animo quam in corpore gravior doloribus ipſis morbus eſt. *Stupor non dolet*, inquit Auguſtinus, *amiſit ſenſum doloris, tanto inſanabilior, quanto pejor.* (In Pſal. 55.) Vnde de quodam qui præ ſuperbia nihil timet, præ duritia conſcientiæ nihil ſentit. *Non te delectet*, inquit, *ſtupor ejus non immortalitate indutus ſed ſenſu exutus eſt.* (Ibidem.) Horror quippe cruciatuſque formidantis conſcientiæ, ultimus ad reſipiſcendum ſtimulus relinquitur: qui ſi etiam tollitur, velut ſenſu ab ægrotante corpore ſublato de ſanitate deſperatum eſt.

Altera pœna vicina præcedenti, eſt animi huc illuc ſeſe volventis perpetua inquietudo. Hoc ipſo enim quo ex ſummo ſuo bono animus labitur, quocunque ſe vertat, non invenit ubi requieſcat pes ejus, niſi cum columba in Deum velut in arcam revertatur. Naſcitur B hoc ex immenſitate capacitatis ejus, *cui explendæ cùm non ſufficiat niſi Deus*, (Lib. 11. de Civit. c. 1.) ſicut ex Auguſtino fuſius ante diximus, eum ex uno bono in aliud cum moleſtia volvi ac revolvi, torqueri ac retorqueri neceſſarium eſt, donec æternæ veritati hæreat cujus impleatur immenſitate, cujus ſtabilitate firmetur. Vnde tritum illud Auguſt: *Feciſti nos ad te & inquietum eſt cor noſtrum, donec requieſcat in te.* (1. Confeſſ. cap. 1.) Et illud præclarum: *Væ animæ audaci, quæ ſperavit, ſi à te receſſiſſet ſe aliquid melius habituram. Verſa & reverſa in tergum & in latera, & in ventrem, & dura ſunt omnia. Et tu ſolus requies.* (6. Confeſſ. cap. 16.) Quod ſi quem ſenſus iſtius pœnæ forte deficiat, ſupplicio graviore premitur; quod miſerum ſuis miſerijs dulciter implicatum etiam reditus ad Deum ſuum oblivisci facit: ex quo fit, ut neque de peccati medicina, hoc eſt dolore cogitet ſed vel animi obtuſione non doleat, vel etiam cœcitate lætetur. Sed ſiue doleat ſive non doleat, quo- C rum alterutrum prorſus neceſſarium eſt, utrolibet modo veriſſimam illam Auguſtini doctrinam eſſe probat, peccati dedecus nunquam eſſe ſine decore vindictæ: Quid eſt enim aliud dolere quam ad ſalutem vindicare peccatum? Quid non dolere, niſi ad perniciem vindicari? Vnde rectiſſimè pro ſuæ doctrinæ veritate Auguſtinus: *Nam & peccatum quod inultum videtur habet pediſſequam pœnam ſuam, ut nemo de admiſſo niſi aut amaritudine doleat aut cœcitate non doleat.* (Lib. de continentia, c. 6.) Niſi fortè & illam cœcitatem quiſpiam pœnam eſſe negaverit; quam ſi lucis internæ amator eſſet, non ſolum aliquam, ſed valdè magnam pœnam eſſe clamaret. Quam verò latè pateat iſta pœna quis neſciat, niſi quid ſit interna cœcitas, neſcit? Hoc ſcio eam in omnibus eſſe peccatoribus quibus nondum eſt data pœnitentia. Eſt enim comes individua cujuſcunque illicitæ cupiditatis, juxta illud Auguſtini: *Deus ſolus magnus, lege indefatigabili* D *ſpargens pœnales cœcitates, ſuper illicitas cupiditates.* (Lib. 1. Confeſſ. cap. 18) Nam ex illa indefatigabili lege fluit, ut in quocunque Deus benevolus non facit ut peccatũ puniens amaritudine doleat, iratus faciat ut cœcitate non doleat. Quod ſi verò etiam de A commiſſa iniquitate vel cœcitate lætetur, tanto pœna eſt gravior, quanto eſt à ſalutis recuperatione remotior. Quis autem neſciat à receptione boni eſſe remotiſſimum qui de malo lætatur; vel profundiſſimam eſſe cœcitatem hominum de cœcitate gloriantium? Ecce quot & quam gravibus ſupplicijs plectit peccata Deus, quæ impunita eſſe putabantur.

Sed alia gravior & intimior & conjunctior peccati pœna, eſt ipſa jactura ſummi boni. Nam quamvis nemo peccet niſi volens, nemo tamen ſummum bonum niſi invitus amittit. Quis enim tantum bonũ nollet, ſi fieri poſſet, una cum peccati iniquitate poſſidere? Sed quia liberà voluntate ab eo avertitur bono, quod ſimul cum illo perverſo motu haberi nequit, hinc fit ut ſecundum aliquid ſit volens & nolens; & ita peccatum & pœna peccati concurrent ſimul. Peccatum eſt enim B velut ictus læthalis quo anima interficitur, jactura illius boni, veluti mors. Nam ut vita corporis eſt anima, ita vita animæ Deus: quo præſente vivit, abſente moritur. Ex quo fit ut mors animæ non tam peccatum ſit quam pœna peccati, juxta illam iſtius pœnæ comminationem quæ in corpore & anima ſuum effectum habuit, *Quocunque die comederis ex eo, morte morieris.* (Geneſ. 2.) Quibus verbis Auguſtinus tam mortem ſpiritus *ubi anima privatur Deo*, quam corporis, *ubi corpus privatur anima*, Deum primis hominibus intentaſſe teſtatur. (Lib. 13. de Civit. c. 12.) Vt ergo mors animæ ſit & jactura ſummi boni eſt pœna peccati; & quidem tanta ut quamvis nihil omninò pœnalium ſuppliciorum ſequeretur, neceſſe ſit hominem quibuſcunque alijs pœnis ſive jam dictis ſive non dictis liberum, eſſe miſerrimum. Iſtam indivulſam intimamque peccati pœnam ſignificavit Auguſtinus, quando dixit de creatura rationali. *Hoc adepto* (Lib. 12. c. 1.) C *beata eſt, quo amiſſo miſera eſt.* Et de bono incommutabili quod eſt Deus, *Quod uſque adeo bonum eſt eorum, ut ſine illo miſera eſſe neceſſe ſit.* Nimirum quia hoc ipſo quo illud amittitur bonum, etſi nulla alia pœna ſequi fingeretur, neceſſe eſt creaturam rationalem eſſe miſeram, ideoque pœnis obnoxiam. Cùm enim hoc ſit beatum eſſe, *Id quod eſt hominis optimum amare & habere*, quia hoc eſt ſummo bono frui, ut Auguſtinus tradit: (Aug. de moribus Eccleſ. cap. 3.) hoc ipſo quo illud vel non amat, vel non habet, non fruitur ſummo bono, & per hoc impoſſibile eſt beatum eſſe; proinde miſerum. Neque enim inter illa duo in creatura rationali medium reperiri poteſt. Hanc ergò pœnam prædictis teſtimonijs Auguſtinus indicare voluit, cùm ſolam iſtius beatifici boni amiſſionem ad miſeriam ſufficere docet, quam alibi conjungit conſcientiæ cruciatibus: *Vexant enim peccata conſcientiam ipſiq́; animo nocent, cum luce juſtitiæ peccando privatur,* D *etiamſi non conſequantur dolores &c.* (Lib. 20. contra Fauſt. cap. 3.)

Hoc ſupplicium animi alio ſupplicio ſemper cumulatur, & à peccato quamdiu peccatum eſt, ſeparari nullo modo poteſt. Hoc ipſo namque quo animus non quieſcit in Deo,

neceſſe eſt eum in re alia directa conquieſcere. Hoc autem nihil aliud eſſe poteſt niſi creatura: cujus vel ſolus amor miſeria eſt, fruitio major miſeria. Quanto enim delectabilius ac ſecurius ea fruitur, tanto arctius cum ea colligatur. Ex quo fit ut inde homines abrumpere amorem & ad Deum transferre non audeant: *Quia cùm conati fuerint, dolebunt animo, tanquam pedem de compede exuere cupientes: cui dolori ſuccumbentes à pernicioſis dilectionibus nolunt abſcedere.* (*In Pſal. 9.*) Hæc autem longè gravior pœna peccati eſt quam ſi flagris ferreis cæderetur: ut meritò divinæ miſericordiæ tribui debeat, & Auguſtinus ſæpè tribuat cùm non ſinit amatorem creaturæ ad voluptatem ejus fruendo pervenire. Quapropter rectiſſimè ſanctus Doctor: *Miſer eſt omnis animus vinctus amicitia*, id eſt amore, *rerum mortalium & dilaniatur cùm eas amittit, & tunc ſentit miſeriam qua miſer eſt, & ante quam amittat eas.* (*4. Confeſſ. cap. 6.*) Cùm ergo impoſſibile ſit animum à Deo ſe avertentem non in aliquam creaturam amando fruendoque conquieſcere, impoſſibile eſt, hoc ipſo non eſſe miſerum & per hoc ſupplicio obnoxium: quod liberam voluntatis petulantiam comitatur. *Hinc enim etiam maximè commendatur, quale bonum ſit Deus, quando nulli ab eo recedenti benè eſt.* (*Lib. 11. de Geneſi c. 4.*) Quare obſecro, cum alia re dilecta felix eſſe poſſit? *Quia & qui gaudent in mortiferis voluptatibus, eſſe ſine dolorum timore non poſſunt: & qui omninò malum deſertionis ſuæ majore ſuperbiæ ſtupore non ſentiunt, alijs qui hæc diſcernere noverunt, miſeriores prorſus apparent.* Et in Pſalmis loquens ab Auguſtino inducitur Deus: *Si recedis à me & bene tibi eſt, ego non ſum bonum tuum. Proinde, ſi ipſe eſt beatitudo noſtra, quid erit recedenti niſi miſeria?* (*In Pſal. 70.*) Nimirum ita ratum & firmum & immutabiliter verum eſt, quod ſupra dixit Auguſtinus: *Tanta eſt benignitas juſtitia, quæ eſt Deus, ut nemo ab ea niſi ad miſeriam poſſit abſcedere.* (*Lib. 3. de lib. arb. cap. 15.*)

Denique ipſum peccatum individua pœna eſt ſui ipſius. Nam quamvis peccatum quatenus præciſè voluntarium eſt, non poſſit eſſe pœna ſed culpa, quatenus tamen ſummum creaturæ rationalis malum eſt quo ſe affici nemo vult, eatenus eſt involuntarium, & pœnam eſſe ſui-ipſius nihil vetat. Hinc Auguſtinus: *In ſeipſis malæ voluntates habent interiorem pœnam ſuam eandem ipſam iniquitatem ſuam.* (*Lib. 9. de Geneſi ad lit. c. 23.*)

Cùm igitur Auguſtini doctrina tam ſolidis fundamentis ab externa petitis lege nitatur, tot occultiſſimis & indivulsè, & inceſſanter peccato adhærentibus pœnis veluti totidem teſtibus veriſſima eſſe comprobetur, nemo doctrinam iſtam infirmare poterit, niſi qui adminiſtrationis univerſi pulchritudinem, ſine pœnis aut præmijs conſiſtere, aut Deum, ut omnia ſuſque deque ferantur, ſinere poſſe fateatur. Nam ut Auguſtinus: *His duobus, præmijs & ſupplicijs, univerſa creatura, quam Deus à ſe conditam regit, mirifica & paucis cognita pulchritudine decoratur.* (*In Pſal. 7.*) Nimirum, *ut dum ſua cuique tribuuntur, pulchritudo univerſitatis nulla ex parte violetur.* (*Ibidem.*)

Quibus omnibus multoque pluribus quæ nos latent, profundiori ſublimitate conſideratis, non dubitavit Auguſtinus doctrinam iſtam velut Catholicam doctrinam tradere, quæ negari non poſſit niſi negetur Deus. Nam cùm adverſus Manichæos fidei deſertores, ex naturali quoque lumine rationis oſtendiſſet peccata à Deo juſto impunita eſſe non poſſe, ſic omnem rem brevi complexione concludit: *Quæ cùm ita ſint, ſecundum Catholicam fidem & ſanam doctrinam, & intelligentibus perſpicuam veritatem, nec natura Dei nocere poteſt quiſquam, nec natura Dei nocere injuſtè cuiquam, vel nocere impunè patitur quemquam.* (*Lib. de natura boni cap.* [illegible]) Et libro de duabus animabus, ut nuda ratione fateri Manichæos cogat, voluntatem eſſe cauſam omnis mali, unicum hoc aſſumit, neceſſario damnari aliquas animas quas videlicet peccatrices eſſe cernimus. Quæ niſi damnentur, hoc eſt pœnæ debitæ ſeveritate plectantur, nefas illud quod omnis religio abhorret, ſequeretur non eſſe providentiam: *Quærerem*, inquit, *utrum aliquas, an nullas animas Deus damnet. Si nullas, nullum meritorum judicium eſt, nulla providentia, & caſu potius quam ratione mundus adminiſtratur, vel potius non adminiſtratur. Non enim adminiſtratio caſibus danda eſt. Hoc autem ſi omnibus qualibet religione devinctis credere nefas eſt, reſtat ut aut ſit aliquarum animarum damnatio, aut nulla peccata ſint.* (*Lib. de duabus animab. c.* [illegible]) Quomodo quæſo hoc ſequitur ſi Deus peccata poſſit impunita dimittere? Sed jam ad aliud doctrinæ caput progrediamur.

## CAPVT QVARTVM.

### Peccator in peccato manens non poteſt beatus fieri.

HINC facile jam etiam me tacente intelligitur, quid de illa doctrina quorundam ſentiendum ſit, qui non contenti pœnam à peccato ſeparaſſe, peccatori etiam beatitudinem tribui poſſe profitentur. Ita nullus eſt libertatis opinandi limes, cùm quicquid ratiunculis humanis plauſibile videtur, mox etiam diſputandi ſolertia nulla veteris doctrinæ conſideratione, propugnatur. Qua de re non eſt opus iterum ſingula principia ſancti Doctoris ſuperius tacta ponderare. Sufficit enim cuilibet perſpicuum eſſe, ut ſi unumquodque eorum probet, peccatum ſine comite ſupplicio eſſe non poſſe, multò efficacius etiam probet peccatorem manentem in peccato non poſſe eſſe felicem, quod ſicut ex principijs Auguſtini apertiſſimè ſequitur, ita etiam non raro ex profeſſo tradit tanquam ex diverſis capitibus impoſſibile. Primò quia eſt contra juſtitiam & veritatem, quarum utraque immutabilis eſt: *Si in futuro ſeculo, ultimo Dei judicio vindicatur de malis,* (*In Pſal. 7.*)

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

*hoc ei* (viro juſto) *placet quod Deo, ne benè ſit malis, ne piorum præmijs, etiam impij perfruantur. Quod utique injuſtum eſt, & à regula veritatis, quam juſtus diligit, alienum.*

Deinde quia non ſolum in ſe injuſtum eſt, ſed qui hoc putat etiam injuſtum faciet ipſum Deum: *Qui multum ſibi pollicetur de miſericordia Dei, ſubrepit in animum ipſius ut faciat injuſtum Deum, & putet, quia ſi permanſerit peccator & noluerit recedere ab iniquitatibus ſuis, veniat ille, & ibi eum poſiturus ſit, ubi ponit ſervos ſuos, qui ei obtemperant. Et juſtum hoc erit ut ibi te ponat perſeverantem in peccatis? Sic vis injuſtus eſſe ut & Deum facias injuſtum?* (In Pſal. 50. in fin.)

Tertiò quia eſt contra honeſtatem, contra pulchritudinem, contra ordinem univerſi quod tali difformitate turpatur: *Habitationi ergo cæleſti talis anima non congruit per peccatum, terreſtri autem congruit per ſupplicium: ut quodlibet elegerit ſemper ſit pulchra univerſitas, decentiſſimis partibus ordinata, cujus eſt conditor & adminiſtrator Deus.* (Lib. 3. de lib. arb. cap. 9.) Cujus indecentiæ cauſam clarius explicans: *Namque optimæ*, inquit, *animæ cum in infimis creaturis habitant, non eas ornant miſeria ſua quam non habent, ſed uſu earum bono. Si autem peccatrices animæ permittantur habitare in ſublimibus locis, inhoneſtum eſt; quia non conveniunt illis quibus nec benè uti poſſunt, nec ornamenti aliquid conferunt.* (Ibidem.) Quod exemplo juſti & peccatoris pariter ignium cruciatus tolerantium congruenter exponit, ut intelligeremus hæc inferiora quandam imaginem præſe ferre ſuperiorum: *At ſi poſt illos ignes vel etiam ante illos, optimum illum virum commutatum ad congruentiam cæleſtis habitationis ad ſidera videremus attolli, utique lætaremur. Si autem ſceleratum latronem, ſive ante ſupplicium, ſive poſt ſupplicium, cum eadem malitia voluntatis ad ſedem honoris ſempiternam levari videremus in cælum, quis non offenderetur? Ita ſicut inferiores creaturas ambo ornare potuerint, ſuperiores autem unus illorum.* (Ibidem.) Ex quo fit ut etiam judicet impoſſibile peccatorem felicitate juſtorum frui, licet poſſibile fuerit ut Chriſtus juſtus peccatorum miſerias ſuſtinuerit: *Non autem ſicut juſtus potuit in ipſa juſtitia permanens corpus habere mortale; ita iniquus poteſt, dum iniquus eſt ad immortalitatem pervenire ſanctorum, ſcilicet ſublimem & angelicam* beatorum. (Ibidem.)

Quartò quia tollit funditus providentiam divinam, atque ipſum conſequenter Deum. Quod in quæſtionibus octoginta tribus duplici ratione concludit. Prima conficit, nihil in hoc mundo caſu fieri. Siquid enim caſu fieret, hoc non pertineret ad providentiam Dei, & per hoc nec ad ipſum Deum, hoc autem tam impoſſibile eſt, quam eſſe quicquam boni quod non ſit ex Deo. Complexio ejus iſta eſt: *Quicquid caſu fit temere fit. Quicquid temere fit non fit providentia. Si ergo caſu aliqua fiunt in mundo, non providentia univerſus mundus adminiſtratur, eſt ergo aliqua natura atque ſubſtantia, quæ ad opus providentiæ non pertinet.* (Lib. 83. qq. quæſt. 24.) Hoc autem impoſſibile eſſe ſic conſequenter probat: *Omne autem quod eſt, in quantum eſt, bonum eſt. Summè enim eſt illud bonum cujus participatione ſunt bona cetera. Et omne quod mutabile non per ſeipſum, ſed boni immutabilis participatione in quantum eſt, bonum eſt. Porro illud bonum cujus participatione ſunt bona cetera quæcumque ſunt, non per aliud ſed per ſeipſum bonum eſt, quam divinam etiam providentiam vocamus. Nihil igitur caſu fit in hoc mundo.* Hæc eſt prima ratiocinatio cui nititur ſecunda de pœnis & præmijs. *Hoc*, inquit, *conſtituto conſequens videtur ut quicquid in mundo geritur partim divinitus geratur*, hoc eſt ſolo Dei nutu, *partim noſtra voluntate. Deus enim quovis homine optimo & juſtiſſimo longè atque incomparabiliter melior & juſtior eſt. Juſtus autem regens & gubernans univerſum, nullam pœnam cuiquam ſinit immeritò infligi, nullum præmium immeritò dari. Meritum autem pœnæ, peccatum; & meritum præmij rectè factum.* Optimè omninò atque veriſſimè. Hoc enim omnium hominum judicio inſcriptum eſt, quod juſtus regens univerſum nullam pœnam cuiquam immeritò infligi ſineret, nullum præmium immeritò dari.

Cùm ergo juſtitiam humanam in immenſum à divina ſuperari, creatura rationalis ignorare non poſſit, ex hac vena manat quod omnium ſanè mentis judicium, illâ ataxiâ velut injuſtâ offenditur, cum impijs hominibus juſtorum præmium dari viderit aut putaverit. Teſtatur hoc Auguſtinus diverſis locis. Nam inde eſt id quod ſupra dixit, ſi latro levaretur in cælum *quis non offenderetur*? Inde eſt illa Ieremiæ, illa Habacuc, illa Davidis querimonia tanquam de re in ſpeciem abſurdiſſima & injuſtiſſima quod pace & felicitate fruerentur mali: *Mei pœnè moti ſunt pedes pœnè effuſi ſunt greſſus mei.* (Pſal. 72.) Quanta rerum perturbatio videri debuit, ubi vir tantus velut indigna Dei juſtitia fieri cernens periclitatur. Et quid erat hoc tantum nefas, quo Deus aſperger videretur? *Quia zelavi ſuper iniquos pacem peccatorum videns.* (Ibidem.) Nimirum hoc vult, ut Auguſtinus prophetæ mentem & verba explicat: *Vidi malos & diſplicuit mihi Deus: Hoc enim volebam ut non permitteret Deus malos eſſe felices.* (Tract. 28. in Ioann.) Nempè quia indecens, perverſum, injuſtum & ideo indignum & impoſſibile Deo. Itaque ſubjicit Auguſtinus: *Intelligat homo, nunquam hoc permittit Deus. Sed ideò malus felix putatur, quia quid ſit felicitas, ignoratur.* Ex quo fit ut idem ſanctus dicat: *Magnam eſſe vim quæſtionis, magnum difficultatem, magnum laborem, & quaſi inextricabilem*, ut cognoſcatur *quomodo & juſtus ſit Deus, & res humanas curet, & non ſit iniquus quod peccatores felicitatem habent in terra, & juſti plerumque fatigentur.* (In Pſal. 72.) Quamobrem quicunque ſive verum ſive falſum colunt aut coluerunt Deum non minus Ethnici quam fideles, iſtâ quæſtione perturbati ſunt: ut qui viderent juſtitiæ repugnare, ut impij felicitate fruerentur. Et quæ quæſo hic eſt anſa perturbationis, quæ umbra juſtæ offenſionis, ſi Deus poſſit præmiorum pœnarumque vices pro libitu ſuo commutare? Quo ſanè magis mirum eſt, inter ſolos Chriſtianos aliquos repertos eſſe qui in iſtud paradoxum præ nimia ſapientiæ ſubtilitate progreſſi ſint.

# CAPVT QVINTVM.

## Horrenda ſententia quorundam, qui putant omnes beatos pro ſola Dei voluntate citra injuſtitiam damnari poſſe ad æternas pœnas, Auguſtino eſt contraria tam ratione pœnæ damni quam ſenſûs.

SED longè profectò eſt horribilius, & intolerabilius illud alterum paradoxum pluſquam Stoicum quo nonnulli veluti de divinitatis arcanis magis inſtructi, dicere auſi ſunt, ſi beatos omnes Deus nullo excepto ad æternas deijceret pœnas, nullam ijs injuriam eſſe facturum, eo quod quidlibet de nobis ſtatuat, perdat, damnet, in nihilum redigat, jure hoc faceret ſuo. Et quamvis non legerim ullum vel Catholicum vel Hæreticum qui inter antiquos auſus fuerit tam exorbitantem pronunciare ſententiam, Auguſtinus tamen eam vel ſolâ recordatione ita exhorruit, ut nihil abſurdius, nihil injuſtius, nihil crudelius adverſus Deum dici poſſe ſentiret. Quia verò damnatio duo comprehendit, privationem beatificæ viſionis, ſeu pœnam damni & pœnam ſenſus, eadem apud Aug. utriuſque ratio eſt, neutram videlicet damnationis pœnam ullo modo infligi poſſe creaturæ rationali abſque peccato.

*Vide ſupra lib. præced. c. 3 & 4.*

Et quidem de pœna damni non eſt quod hic ulterius ſatagamus. Iam enim ſuperius fuſiſſimè & innumeris pænè teſtimonijs ſenſum Aug. patefecimus, quemadmodum conſtantiſſimè doceat adverſus Pelagianos puræ naturæ fabricatores, injuſtum eſſe Deum ſi parvulos à regno ſuo ſine peccati iniquitate ſecludat. Creaturam quippe rationalem & auctorem ejus, imaginem & exemplar nihil omninò poteſt ſine injuſtitia ſeparare niſi peccatum. Loca illic planiſſima videnda ſunt.

*Lib. 11. de Geneſi c. 17.*

*Lib. 3. de pecc. merit. c. 5.*

Non minori perſpicuitate, ſed propter evidentiorem abſurditatem multo majori aſſeverantia hoc ipſum de pœna ſenſus tradidit, quę antonomaſticè damnatio vocari ſolet. Nam quibuſdam in locis docet hoc eſſe impoſſibile, ut in libris de geneſi ad litteram, ubi cauſam miſeriæ diabolicæ vi puræ rationis indagans, *Nunquid ille*, inquit, *prius ultor, quam iſte peccator? Abſit. Neque enim Deus damnat innocentes.* Et l. 3. de pecc. merit. cùm Cyprianus dixiſſet mortiferum eſſe parvulis ſi ſine baptiſmo moriantur, *Vnde*, inquit, *ſi iam nihil aliud diceret intelligere noſtrum fuit ſine peccato animam perire non poſſe.* Subinde verò magis expreſsè docet, hanc impoſſibilitatem naſci ex injuſtitia quam contraheret Deus, ſi creaturam ſuam damnaret pœniſq́; cruciaret immeritá. Hinc illud contra Manichæos qui damnationem quarundam animarum ex Deo proficiſci ſtatuebant, volente conſulere per earum interitum regnis ſuis, quamvis nihil omninò mali propriá voluntate feciſſent: *Convenit igitur mihi cum illis, animas aliquas divimá lege iudicioq́; damnari. At hæ ſi bonæ ſunt, quæ illa iuſtitia eſt?* Et paulò poſt aſſerit hoc omnium hominum eſſe judicium: *Omnes fatentur & malas animas iuſtè, & eas quæ non peccaverunt iniuſtè damnari.* Et adverſus eos qui dæmones putare poſſent ſolà diviná voluntate naturam eorum affligente, ſine peccato præcedente, ad æternos ignes eſſe damnatos, ſicut illi recentiores ſine injuſtitia fieri prorſus poſſe ſtatuunt: *Quia cuilibet*, inquit, *occurrit & verum eſt, atque manifeſtum, iuſtitiæ ipſi eſſe contrarium, ut nullo præcedente merito, hoc ipſum in quoquam Deus damnet, quod in eo ipſe creavit, certaq́; & evidens damnatio diaboli & Angelorum eius ex Evangelio recitatur ubi ſe dicturum Dominus pronunciavit eis dicens qui à ſiniſtris ſunt: Ite in ignem æternum qui præparatus eſt diabolo & Angelis eius, nullo modo in eo naturam quam Deus creavit, ſed malam propriam voluntatem pœná ignis æterni plectendam eſſe credendum eſt.* Adverſus Pelagianos verò multipliciter eandem doctriná tradidit. Nam in primis cùm in lib. de pecc. orig. æterna morte parvulos ſine baptiſmo mortuos plectendos eſſe docuiſſet ſtatim addit: *Quod nulla iuſtitia poteſt accidere his, à quibus in hac vita nulla peccata commiſſa ſunt, niſi originale peccatum.* Et in ſecunda lucubratione contra Iulianum: *Condemnari iuſtè nullo modo poſſunt* (parvuli) *ſi non ſub peccato, ac per hoc & ſub peccati principe naſcantur.* Et in Epiſt. 106. ad Paulin. contra Pelagianos exarata: *Piè namq́; & veraciter creditur Deus nocentes atque impios iuſtificando à pœnis debitis liberare: quemquam verò immeritum, & nulli obnoxium peccato, ſi Deus damnare creditur, alienus ab iniquitate non creditur.* Et infra in eadem Epiſt. hoc vocat *abſurdiſſimum & à iuſtitia Dei penitùs alienum.* Ex quo fit ut Pelagiani quantumvis audaces in fingendo puræ naturæ ſtatu, in tribuendo parvulis uſum rationis atq; peccata in uteris matrum, nunquam tamen auſi ſunt eo deſperationis progredi, ut quemquam non modo beatum aut ſanctum, ſed vel in pura natura ut ſentiebant conditum, ſine peccato à Deo juſtè damnari aut æterná morte quamvis mitiſſima qualis eſt parvulorum, plecti poſſe delirent. Vnde illud ſolemne dictum Pelagij: *Sine baptiſmo parvuli morientes quo non eant, ſcio; quo eant neſcio.* Quod idcirco Auguſtino interpretante ſe neſcire dicebat, *quia dicere non audebat, in mortem illos ire perpetuam, quos & hic nihil mali commiſiſſe ſentiebat, & originale traxiſſe peccatum non conſentiebat.*

*Lib. de duabus animab. cap. 12.*

*Lib. 11. de Gen. c. [illegible]*

*Lib. [illegible] orig. [illegible]*

*Lib. [illegible] imperf. [illegible]*

*Epiſt. 106.*

*Ibidem.*

*In eadem Epiſt.*

*Lib. de pecc. orig. cap. [illegible]*

Et alibi attenta talis damnationis injuſtitia & impoſſibilitate, magna cum fiducia provocat Pelagianos, ut in iſtius ſententiæ præcipitium prorumperent; quo videlicet eos deſperatam fovere cauſam ex ipſa ſententiæ immanitate atque crudelitate conſtaret: *Quæ cùm ita ſint,*

*Epiſt. 106.*

*ſint, audeant diſputare, & quibus poſſunt perſuadere contendant, Deum iuſtum & apud quem non eſt iniquitas, parvulos à peccatu proprijs innocentes, ſi nec illo ex Adam obligati & obſtricti ſunt, morte perpetuâ damnaturum.* Sed ne portentum illud opinionis invaderent, tacitè præmonet, quando, ut ante dixi, ſubjicit hoc eſſe *abſurdiſſimum & à iuſtitia Dei pœnitùs alienum.* Nam iſtius dogmatis abſurditas tam enormis & ejus injuſtitia tam immanis Auguſtino viſa eſt, ut facilius hominem cum Atheis ſentire poſſe putet, quod cum anima extinguatur & corpus, & pariter juſti injuſtique poſt mortem nulli ſint, quam quod juſti poſt mortem futuri ſint miſeri, beatique peccatores. Cùm enim induceret quemdam qui ſe neſcire profiteretur quid poſt mortem futurum ſit, ſic eum compellat Auguſtinus: *Sic ergo te alloquar tanquam mihi dicas, neſcio quid poſt mortem futurum ſit. Prorſus ignoro an beati futuri ſint iuſti, & miſeri peccatores; an pariter utrique non ſint futuri. Illud tamen quamvis neſcias* NON AVDEBIS DICERE POST MORTEM BEATOS FVTVROS PECCATORES, MISEROS IVSTOS. NON POTES DICERE, *illos etſi ſuſpicaris pariter non futuros, in meliori tamen ſtatu futuros impios, & iuſtos in malis poſt mortem futuros.* NEC IGNORANTIA TVA TIBI POTEST SVGGERERE HOC. Quantæ impietatis & abſurditatis dogma eſſe, neceſſarium eſt, quod Auguſtinus tanta fiducia ab omnium hominum non modo doctorum atque proborum, ſed etiam imperitiſſimorum impiſſimorumq; ſuſpicionibus reijcit: Quod nulla vel Ethnicorum impietas, nulla Poëtarum licentia, de Deo vel vero vel falſo fingere auſa eſt: ut ſatis mirari nequeam ſolos aliquos Chriſtianos inventos eſſe, qui cum ceteris deberent, uti pietate præcellere, ita & præ omnibus ſentire de Deo in bonitate, eo tamen effreni quadam Philoſophandi licentia proruperint ut Deo tantum nefas attribuerent. Cùm Auguſtinus clamet, Deus non damnat nec damnare poteſt innocentes: Abſit: quæ illa juſtitia eſt? Tales nullo modo condemnari poſſunt; nullâ juſtitiâ hoc poteſt accidere; abſurdiſſimum eſt, à juſtitia Dei pœnitùs alienum; hoc eſt verum, hoc cuilibet occurrit, hoc manifeſtum eſt juſtitiæ eſſe contrarium; non audebis hoc quantumvis hæreticus Pelagianus diſputare, non audebis hoc quantumvis impius dicere non potes hoc dicere, nec ignorantia tua tibi poteſt hoc ſuggerere. Hæc & hujuſmodi Auguſtinus paſſim tanquam de re exploratiſſima, evidentiſſima, certiſſimaque, ut quæ apud omnes Chriſtianos, Pelagianos, ac tantum non Atheos in confeſſo eſt, identidem repetit. Et ipſi quaſi magna arcana & Auguſtino incognita perdocti, quia Deum omnium Dominum auctoremque vitæ & mortis eſſe didicerunt, è diverſo occinunt; nulla omninò injuſtitia eſt ſi Deus damnet innocentes, nulla abſurditas; nihil pœnitus à Dei juſtitia alienum, ſi beatos omnes, nullo excepto in æternas dejiciat pœnas; quidlibet de nobis ſtatuat, perdat, damnet, cruciet, torqueat, id jure faciet ſuo.

Quod ſi iſti diſceptationi non dico Salomon in throno ſuo, ſed vel Dionyſius, vel Phalaris præſideret, ut judicaret, uter eſſet verus creaturæ rationalis Deus, hoc eſt auctor & Pater, an ille qui tanta habet erga creaturam ſuam viſcera pietatis, tantam juſtitiæ rectitudinem, tantam amicitiæ humanitatem atque ſtabilitatem, ut creaturam ſuam ſine iniquitate ad æternos cruciatus damnare non poſſet, ſed potiùs immeritam damnando naturæ propriæ ſanctitatem, inhumanæ crudelitatis & injuſtitiæ perverſitate violaret; an verò ille qui poſſit eam nulla ejus præcedente culpa æternis mancipare cruciatibus, ſine dubio reſponderet pro illo Deo cujus juſtitiæ rectitudinem ad intima uſque penetrantem tuetur Auguſtinus, ut olim Salomon pro illa quæ filij ſui cruciatus ferre non poterat, *Hic eſt Pater eius*, hic eſt verus Deus ejus. Nam omnium Deo detrahentium ora clauſit, Salomon Deo plenus: *Ipſum qui non debet puniri condemnare, exterum æſtimas à tua virtute.* (Sap. 12.) Argumentũ illud quod ex abſoluto dominio Dei petitur, quid & quantum valeat infra commodius ponderabimus.

## CAPVT VI.

*Argumentum 16. contra puram naturam.*

## Sententia Pelagianorum & Manichæorum de miſerijs puræ naturæ. Oſtenditur ex vi legis æternæ injuſtum fore Deum, ſi eas innocenti creaturæ imponeret.

SED quia non pauci ſunt, qui licet ſententiam illam de damnatione & cruciatibus beatorum, velut injuſtitiæ & immanitatis plenam deteſtentur, alijs tamen mitioribus malis creaturam innocentem ſine ullo vel Dei vel creaturæ præjudicio affligi poſſe arbitrantur, præſertim in ſtatu puræ naturæ, qui ſine magno magnorum cruciatuum cumulo eſſe non poteſt, propius ad ſcopum noſtrum propter quem iſta tractamus accedendum eſt videndumque utrum Deus, juxta doctrinam ſancti Auguſtini, creaturam rationalem antequam peccato commeruerit, tot miſerijs, quot ſtatus purorum naturalium poſt ſe trahit, poſſet affligere. Quod ſi non poſſit, ſubverſus jacet à fundamentis totus puræ naturæ ſtatus; ut qui non ſit aliud, quam vaſtiſſimum omnium miſeriarum corporis atq; animi ſeminarium.

Et quamvis jam utcunque ſubluceat ex

præcedentibus, quid in hac etiam quæſtione de ſancti Auguſtini mente ſentiendum ſit, ut tamen idipſum lectori dilucidius, certiuſque conſtet, hoc ſine ulla tamen fluctuatione confirmo, tanquam dogma per univerſa latifundia ſanctiſſimæ ejus doctrinæ ſparſum, quod à primordijs ſuſceptæ Catholicæ religionis uſque ad extremum halitum docuit, ſub Deo juſto omnipotente ac bono, creaturam rationalem nullo modo poſſe tot tantiſque miſerijs ex quibus puræ naturæ ſtatus quaſi confectus eſt cruciari, niſi ejus culpa mereatur. Hæc doctrina baſis eſt una capitalis, cui præcipua pars illius, quam adverſus Manichæos Pelagianoſque ſtruxit, molis incumbit: quæ ſi ſubtrahitur doctrinam quam adverſus illas peſtes tradidit, tueri ab ineptijs, abſurditatibus, paralogiſmis, apertiſſimiſque falſitatibus impoſſibile eſt. Quod facile judicabit quiſquis ea quæ juxta mentem ejus in ſequentibus producturi ſumus attentè ponderaverit.

Vbi ante omnia memoriâ repetendum eſt, id quod ante me dixiſſe memini, quid Pelagiani in hac re ſenſerint, quid aſſeruerint Manichæi. Niſi enim probè ſciatur, quid impugnet adverſarius, quid tueatur reus, nunquam argumentorum vis perſpecta eſſe poterit. Itaque Pelagiani in primiſque Iulianus ex profeſſo tuebantur, parvulorum naſcentium innocentiam non eſſe gratiæ ſed naturalem, ut vitij ſeu peccati, ita & virtutis expertem. Omnes itaque quas oculis cernimus & mente quoque intelligimus miſerias ſive in animo, ignorantias, concupiſcentias, ingenij tarditates, fatuitates, paſſionum inſanias & hujuſmodi; ſive in corpore monſtroſitates, intrinſecus naſcentes morbos ac miſerias, extrinſecus irruentes calamitates, illamque totam ærumnarum ſeriem quam experitur humana mortalitas, eſſe homini quemadmodum ceteris animalibus naturalem, hoc eſt ut uno verbo dicam, hominis iſta eſſe pura naturalia in quibus à Deo conditus eſt. Quod diverſis locis ita eſſe, & à Scholaſticis quoq; admitti, neque ab homine tantillum in ſenſu Pelagianorum & Auguſtini ſcriptis verſato negari poſſe jam aliquoties oſtendimus. Ex quo fit, ut conſentaneè dogmati ſuo nec mortem ipſam, malorum omnium corporis terribiliſſimam, malam eſſe dicerent, ſed vel bonam, vel certè indifferentem, cùm apertè profiteantur apud Auguſtinum, quod *mors non ſemper ſit malum, cum & Martyribus ſit cauſa præmiorum: & bonam vel malam mortem dici faciat, non reſolutio corporum, quæ excitabuntur in omni genere hominum, ſed meritorum diverſitas, quæ de humana libertate contingit.* Similique prorſus ratione, neque concupiſcentiam, neque illam quaſi ſimplicem ignorantiam eſſe volebant mala, ſed affectiones quaſdam indifferentes, vel etiam bonas quarum bonus vel malus uſus ex hominis libertate naſceretur, ut ſupra quoque declaravimus. Nimirum ut ita nemini mirum aut paradoxum videretur, quod hominem à Deo quantumvis à peccatis alienis ac proprijs innocentem in ſtatu tot tantiſque affectibus obnoxio condi poſſe & conditum eſſe decernerent.

Lib. 4. ad Bonif. c. 2.

Manichæi contrariâ viâ inceſſerunt, cùm enim intelligerent hæc eſſe revera magna creaturæ rationalis mala atque ita de Deo bono in bonitate ſentirent, ut neque Deum eorum auctorem eſſe poſſe crederent, neque liberum hominis arbitrium, niſi per ambages iterum revolverentur in eundem Deum, tanquam creatæ libertatis auctorem, duo principia comminiſci ſacrilega impietate maluerunt, unum bonum & alterum malum, quàm unum principium bonum tot tantorumque malorum cauſam ſtatuendo majore illud, ut eis videbatur ſacrilegio temerare. Vnde Auguſtinus de ſe cùm eſſet Manichæus: *Quia non audebat anima mea, ut ei diſpliceret Deus meus, nolebat eſſe tuum, quicquid ei diſplicebat, & inde ierat in opinionem duarum ſubſtantiarum.* Cujuſmodi fuiſſe originem hæreſis Manicheæ multis in locis teſtis eſt Auguſtinus. Itaque dicebant omnia illa quæ nos vocamus, & verò ſunt, & ſupra recenſuimus mala, in nobis eſſe orta non ex Deo bono ſic inſtituente primitus in pura natura creaturam rationalem, quemadmodum Pelagianum dogma ſtatuebat: neque rurſum ab homine vitiante naturam ſuam, quam Deus ille bonus primitus totam bonam inſtituerat, quemadmodum fides Chriſtiana docet. Paris enim impietatis utrumque eſſe ſentiebant, quod utroque modo vel directè, vel certè indirectè bonus Deus malorum auctor eſſe crederetur. Sed ea nata eſſe dicebant ex commixtione naturæ malæ ſeu mali, hoc eſt, naturæ quæ non corruptione boni ſuperveniente vitiata ſit, ſeu ex bona facta ſit mala, ſed quæ ex natura ſua naturaliter talis ſit, ignara ſcilicet, malorum cupida, morbida, moribunda, ceteraque quotquot gemimus ex ſe ſcaturiens mala. Hæc autem commixtio naturæ mali & boni, in eodem homine qua ratione facta ſit, confligentibus inter ſe duobus principijs bono ac malo, longa fabula eſt, neque ad peragendum id quod inſtituimus neceſſaria. Ad hoc enim ſufficit id quod jam jam explicuimus; quod ita ſe habere ex plurimis Auguſtini atteſtationibus perſpicuum eſt, & inferius plura dicturi ſumus. Ex qua utriuſque ſententiæ explicatione colligitur, Manichæos & Pelagianos hactenus puram naturam induxiſſe, quatenus utrique naturam ſine gratia & ſine peccato à principio creante prodire ſentiebant, ſed hoc diſcrimine quod Pelagiani propter perſpicuam certamque naturæ bonitatem etiam defectus ejus omnes bonos, ſeu non malos eſſe dicerent: Manichæi è contrario propter perſpicuam certamque defectuum iſtorum malitiam, etiam naturam ipſam volebant eſſe malam. Hinc conſequenter illi & naturam & defectus ejus referebant in principium bonum, hoc eſt in Deum verum creaturæ rationalis auctorem, hi in malum ſeu

in na-

in naturam mali ex cujus conflictu cum natura boni, & ex utriuſque commixtione quæ propter infirmitatem principij boni formidantis regnis ſuis conſecuta eſt, tota corporalis creatura prodiſſet. His erroribus utriuſque ſectæ ob oculos poſitis, ſententia Auguſtini contra Pelagianos & energia argumentorum ejus plenius percipietur.

Auguſtinus igitur adverſus Pelagianos docet opinionem iſtam non ſolum reipſa non eſſe veram, quia fides Chriſtiana tradit omnem illam calamitatum ſeriem ex peccato primi parentis promanaſſe, ſed etiam ratione naturali, multis modis oſtendit eam eſſe non poſſe veram, quia vel recto & generali ordini creaturarũ vel etiam diverſis Dei attributis, è diametro adverſatur, ut eam proinde ſemper habeat tanquam vel contra naturalem exigentiam creaturæ rationalis, vel etiam ſæpiſſimè tanquam prorſus impoſſibilem.

Et primò quidem ſententia Auguſtini eſt, eſſe contra ordinem, rectamque adminiſtrationem univerſitatis, ut miſeria peccata præcedat. Natura quippe creaturæ rationalis, hoc eſt, illius quæ immutabilibus æternæ veritatis rationibus regitur & liberis motibus agitur, hoc poſtulat, ut non affligatur, niſi ipſa cauſam dederit. Omnis enim miſeria ſive in corpore ſive in animo eſt afflictio ejus, quia eſt contra voluntatem ejus, cùm id ei auferatur quod rectâ voluntate appetit. Iſtam creaturæ rationalis naturam Auguſtinus veluti baſin adverſus Hæreticos collocavit, quando dixit: *Creaturis præſtantiſſimis, hoc eſt, rationabilibus ſpiritibus hoc præſtitit Deus, ut ſi nolint corrumpi non poſſint, id eſt ſi obedientiam conſervaverint ſub Domino Deo ſuo, ac ſic incorruptibili pulchritudini eius adhæſerint: Si autem obedientiam conſervare noluerint, quoniam volentes corrumpuntur in peccatis, nolentes corrumpantur in pœnis. Tale quippe bonum Deus eſt, ut nemini eum deſerenti benè ſit,* Nimirum ita ut nullo pacto Deum deſerenti bene eſſe poſſit quia repugnat naturæ rationali, quæ nullo alio bono niſi ſolo Deo ſatiari, & ideò nec beari aut non niſi miſera eſſe poteſt, ſicut ſupra declaravimus; ita igitur eidem naturæ repugnat, ut non deſerenti Deum malè ſit; hoc enim non minus cum recto ordine iſtius creaturæ & univerſitatis adminiſtratione pugnat quam iſtud prius. Quod diſertis verbis in alio loco tradit Auguſtinus: *Si peccatis earum* (animarum) *detractis miſeria perſeverat aut etiam peccata præcedit rectè deformari dicitur ordo atque adminiſtratio univerſitatis.* Ecce ordinem & adminiſtrationem univerſitatis deformatam, ſi miſeria peccata præceſſerit. Idem ipſum adverſus Philoſophos in libris de Civitate diſputans, præter ordinem rectum eſſe declarat, quo ſuus cuique locus datur, ut ſine peccati merito miſer quiſquam fiat. Hoc autem ſicut ſine naturalis ordinis perturbatione eſſe non poteſt, ita nec ab autore ordinis Deo: *Pax,* inquit, *omnium rerum eſt tranquillitas ordinis, ordo eſt parium diſpariumque rerum ſua cuique loca tribuens diſpoſitio. Proinde miſeri, quia in quantum miſeri ſunt, utique in pace non ſunt, tranquillitate quidem ordinis carent, ubi perturbatio nulla eſt. Veruntamen quia meritò iuſteque miſeri ſunt, in ea quoque ipſa ſua miſeria, præter ordinem eſſe non poſſunt. Non quidem coniuncti beatis, ſed ab eis tamen ordinis lege ſeiuncti.* Porrò totum ordinem iſtum, quo & peccantibus miſeria adeſſe, & non peccantibus abeſſe debet, ex æternæ legis præſcripto fluere, quo naturalis ordo creaturæ rationalis adminiſtratur, ſtatim ſubijcit: *Miſeriores autem erunt, ſi pax eis cum ipſa lege non eſt, qua naturalis ordo adminiſtratur.*

Lib. de nat. boni, c. 7.

Lib. 3. de lib. arb. c. 9.

Lib. 19. de Civit. c. 13.

Porrò hanc eſſe æternam legem jam ſupra capite ſecundo declaravimus, cùm ex ea fieri diximus, quod peccatum impunitum eſſe non poteſt. Quicquid enim ibi ad illius ſententiæ probationem protulimus, multò magis ad hoc valet, ut eum qui nihil omninò mali fecit, miſerum fieri non poſſe credamus. Cùm enim lex incommutabilis æternaque ſit, *qua iuſtum eſt ut omnia ſint ordinatiſſima,* tam impoſſibile eſt ordinatiſſimum eſſe, ut qui nihil egerit mali, malè patiatur, quàm impoſſibile eſt ordinis perturbationem eſſe ordinem, ac Deum non eſſe Deum, Deus enim eſt ipſa illa incommutabilis veritas, quæ clamat juſtum eſſe, ut omnia ſint ordinatiſſima, quæ clamat ordinatiſſimum eſſe, ut qui malè meritus fuerit, malè patiatur, & qui nihil mali fecit, nihil etiam mali patiatur. Quod & Auguſtinus in eodem loco apertè profitetur cùm de æterna lege dicit: *Lex quæ ſumma ratio nominatur, cui ſemper obtemperandum eſt, per quam mali miſeram, boni beatam vitam merentur, qua demique fit, ut non poſſit aliquando iniuſtum eſſe ut mali miſeri, boni autem beati ſint.* Si lege æternâ injuſtum eſſe non poteſt, ut boni beati ſint, profectò juſtum eſſe non poteſt, ut ſint miſeri. Et ſi hoc juſtum eſſe non poteſt, profectò nec Deus illud facere poteſt, qui nihil niſi quod juſtum eſt, facit. Nam ut Auguſtinus, *contrà illam ſummam naturæ legem tam Deus nullo modo facit quam contra ſeipſum non facit.* Hujus igitur æternæ legis immobilitas vera radix eſt, cur, uti dixit Auguſtinus, *Spiritus rationales ſi nolint,* id eſt, ſi peccare noluerint, *corrumpi non poſſint;* hæc item vera radix eſt; Cur *deformatur ordo atque adminiſtratio univerſitatis, ſi miſeria peccata præcedat.* Semper enim & ubique juſtum eſt, ut omnia ſint ordinatiſſima. Cùm ergò nunquam ordinatiſſimum eſſe poſſit, ut miſeria peccata præcedat; nunquam etiam lex æterna hoc dictare poteſt. Cùm ergò pertingat à fine ſummæ creaturæ uſque ad finem infimæ, & ſit inſuparabilis rectitudinis & indiſpenſabilis æquitatis, nihil omninò in univerſitatis adminiſtrationem irrumpere poteſt, quo ordinatiſſima illa ſanctio perturbetur: *Neque enim,* ut optimè ſanctus Auguſtinus, *ſub Deo iuſto miſer eſſe quiſquam niſi mereatur, poteſt.*

Aug. lib. 1. de lib. arbit. 6.

Ibidem.

Lib. 26 cont. Fausti, c. 3.

Lib. 1. oper. imp. f. 33.

Cùm igitur tam arcta ſit connexio inter miſeriam atque peccatum, ut neque peccata præcedere neque non ſequi poſſit, hinc eſt, quod Auguſtinus ex pura ratione naturali cum Pelagianis, cum Manichæis, cum quibuſlibet etiam infidelibus diſputans ex hoc

ipſo quod miſeria qualiſcunque in creatura rationali reperitur, mox peccatum neceſſariò anteceſſiſſe concludit. Hinc in Pſalmum trigeſimum octavum: *Video me in malis, video me in pœna, & apud te non video iniquitatem. Si ergo ego in pœna ſum, & apud te iniquitas non eſt, nonne reſtat ut pro iniquitate erudias hominem?* Nonne idem eſt ac ſi diceret, impoſſibile eſt ut ego in pœna ſim, niſi iniquitas mea commeruerit. Et quomodo hoc impoſſibile eſt ſi in ſtatu puræ naturæ homo à Deo produci poteſt? Quod ſi fortè dixeris Auguſtinum ex ſuppoſitione præſentis ſtatus loqui, de quo poſtea plura dicturi ſumus, audi aliam ejus ratiocinationem, cùm adhuc eſſet Manichæus, & hoc ipſum diligentiſſimè & ex profeſſo quæreret, quis longam illam pœnarum catenam qua vincti ſumus, humano generi texuiſſet: *Et intendebam*, inquit, *ut cernerem quod audieram, liberum voluntatis arbitrium cauſam eſſe ut malum faceremus, & rectum judicium tuum ut pateremur, & eam liquidò cernere non valebam &c. Sublevabat enim me in lucem tuam, quod tam me ſciebam habere voluntatem quam me vivere. Itaque cùm aliquid vellem aut nollem, non aliud quam me velle aut nolle certiſſimus eram, & ibi eſſe cauſam peccati mei, jam jamq; animadvertebam.* Ecce ex pura natura ratione naturali, ſine fide cognitam cauſam peccatorum creaturæ rationalis. Nunc audi eadem naturalis rationis evidentia collectam cauſam pœnarum ejus: *Quod autem invitus facerem*, in hoc videlicet miſeriarum ſtatu, ubi ignorantiâ & libidinibus ad peccatum pellimur, *pati me potius quam facere videbam, & id non culpam, ſed pœnam eſſe judicabam; qua me non injuſtè plecti, te juſtum cogitans, cito fatebar.* Paralogiſmus ille inſignis eſt, ſi natura rationalis cum eiſdem

Lib. 7. confeſſ. cap. 3.

Ibidem.

A pœnis ſine ullo peccato, ſine ulla injuſtitia Dei condi poteſt.

Qua de cauſa nec illum ratiocinandi modum unquam Pelagiani probaverunt, qui puram naturam attulerunt, nec Scholaſtici cum unquam probare poſſunt, quamdiu in eo ſtatu hominem condi poſſe contendent. Sed non hîc tantum, ſed infinitis alijs locis idem ipſum Auguſtinus contra Pelagianos & Manichæos tradidit: Vtroſque enim pœnas ſine peccati merito inducentes illa ratiocinatione proſtravit. Nam in libris de libero arbitrio ubi malorum cauſam adverſus Manichæos indagat, cùm ſimiliter ignorantiam & difficultatem, hoc eſt libidinum ſævientium infirmitatem attuliſſet, quibus fieret ut homo etiam quodammodo invitus neceſſitate peccaret: *Pœnam*, inquit, *iſtam eſſe quis dubitet? Omnis autem pœna ſi juſta eſt, peccati pœna eſt & ſupplicium nominatur.* Ecce omnem omninò pœnam, hoc eſt miſeriam, ſi tamen juſta eſt, peccati pœnam eſſe teſtatur. Hoc eſt non aliter creaturæ rationali infligi poſſe niſi ejus peccata mereantur, alioquin enim hoc ipſo eſſet injuſta. Nam hoc eſt quod contra Pelagianos dixerat: *Neque enim ſub Deo juſto miſer eſſe quiſquam niſi mereatur poteſt.* Sed quia imaginari aliquis poſſet hujuſmodi pœnas Deo permittente vel ex neceſſitate materiæ, ſive corporis, ſive animæ & corporis, in creaturam rationalem irrepere poſſe ſine injuſtitia Creatoris, quemadmodum ferè auctores puræ naturæ imaginari ſolent, paulò accuratius ex ratione divinæ providentiæ res iſta declaranda eſt, & naturæ puræ impoſſibilitas, juxta mentem Auguſtini ſexcentis locis conſignatam, demonſtranda.

Lib. 3. de lib. arb. cap.

# CAPVT VII.

## Idem probatur ex vi divinæ providentiæ cujus omnipotentia, vel ſcientia, vel juſtitia neceſſario læditur.

SANCTVS igitur Auguſtinus tanti hoc argumentum fecit, quod ex providentia divina hanc univerſitatem adminiſtrante & quoſlibet fortuitos caſus excludente petitur, ut non dubitaverit hoc unicum telum omnibus infidelibus opponere, eoque ſolo cuncta eorum machinamenta de pura natura, de malo naturali, de miſerijs ex neceſſitate materiæ pullulantibus, frangere atque ſubvertere. Nam quamvis Scripturas ſacras, in quibus miſeriarum noſtrarum vera cauſa recenſetur, vel prorſus abjicerent, vel non crederent, vel falſarent, fidemque Eccleſiæ de ſtatu gratiæ in quo conditi ſumus deriderent, hoc tamen argumentum quod ſolummodo Deum auctorem & conſequenter gubernatorem univerſi eſſe ſupponit, tam irrefragabilis evidentiæ eſſe cenſet adverſus gentilium Philoſophorum ignorantiam, qui non dubitabant, hunc miſeriarum ſtatum eſſe B homini naturalem, & adverſus Pelagianorum commenta qui eas puræ naturæ tribue-

A bant, & adverſus Manichæorum inſaniam, qui eas ex naturæ malæ commixtione fluere delirabant, ut nihil omninò vel ex proprijs eorum erroneis principijs, quibus adhærebant, reſponderi poſſe judicaret. Ipſum itaque cum illis peſtibus de miſeriarum quarumlibet cauſa diſputantem ac ſatagentem videamus. Cum Platonicis igitur de cauſa miſeriæ quorumdam Angelorum diſſerens, quos ipſi bonos quidem, tamen miſeros eſſe fateri cogebantur, ſub Dei providentia nullam aliam eſſe concludit niſi malitiam: *Qui* (Apuleius) *animo paſſiva, etiam miſera dixiſſet, niſi pro eorum cultoribus erubuiſſet. Porro quia providentia ſummi Dei, ſicut etiam ipſi fatentur, non fortuitâ temeritate regitur mundus, nunquam eſſet iſtorum æterna miſeria, niſi eſſet magna malitia.* Ecce Deo mundum gubernante nec dæmones *animo paſſivos*, hoc eſt paſſionibus perturbari & conſequenter miſeros eſſe non poſſe adverſus Platonicos aliud opinantes putat, niſi malitia magna præceſſerit. Quamobrem, quæſo, & quomodo,

Lib. 9. de Civit.

aiſ

niſi quia repugnat divinæ providentiæ, ut quiſquam, niſi mereatur, miſer ſit?

Similiter de cauſa mali curioſiſſimè ſatagens cum Manichæis adverſus quos, quia ſuo quodam priuilegio, imo ſacrilegio ſcripturas veteris Teſtamenti abijcerent, de novis quod vellent ſumerent, quod nollent ſpernerent, nulla eum teſtimoniorum divinorum adjuvabat auctoritas ideoque puris rationibus diſputare cogebatur, ex eadem divinæ providentiæ conſideratione concludit: *Quamobrem ſi nemo iniuſtè pœnas luit, quod neceſſe eſt credamus quandoquidem divinâ providentiâ hoc univerſum regi credimus, illius primi generis malorum* (id eſt culpæ) *nullo modo, huius autem ſecundi auctor eſt Deus;* Nempe illius, ut ante præmiſerat, quo dicimur mali aliquid pati. Injuſtè autem pateremur malum niſi ante malum feciſſemus, ſicut ibidem indicat. Et in ejuſdem operis libro tertio, cùm hominem etiam invitum ad peccatum urgeri dixiſſet, quod quia magnum creaturæ rationalis malum eſt, & contra voluntatem accidit, ſicut pœnæ ſolent, multò enucleatius ex ratione probat, nullo modo ſine peccato talem pœnam ei accidere potuiſſe: *Pœnam iſtam eſſe quis dubitet? Omnis autem pœna ſi iuſta eſt peccati pœna eſt & ſupplicium nominatur: ſi autem iniuſta eſt pœna, quoniam pœnam eſſe nemo ambigit, iniuſto aliquo dominante, homini impoſita eſt. Porro quia de omnipotentia Dei & iuſtitia dubitare dementis eſt, iuſta hæc pœna eſt, & pro peccato aliquo penditur. Non enim quiſquam iniuſtus dominator aut ſurripere hominem potuit velut ignorante Deo, aut extorquere invito tanquam invalidiori, vel terrendo vel confligendo ut hominem iniuſta pœna cruciaret.* Quibus verbis Auguſtinus omnia Manichæis præcidit effugia, quibus abſque peccato pœnas iſtas in humanum genus irrepſiſſe vel irrepere poſſe delirare potuiſſent. Cùm ergo nihil ſupereſſet quod reſponderi poſſet, *Relinquitur ergo*, inquit, *ut hæc iuſta pœna de damnatione hominis veniat.*

Pelagianos vero qui tantas miſerias Deo tanquam puræ naturæ auctori aſſcribebant, ſæpius ex divinæ providentiæ conſideratione contundit, ſingulaque Dei attributa, quæ concurrunt ad gubernationem divinæ providentiæ ſollicitè ponderat ut oſtendat non poſſe tot miſerijs affligi homines niſi peccata promeruerint: *Niſi forte*, inquit contra Iulianum puræ naturæ aſſertorem, *tibi in hac quæſtione laboranti Deus iuſtus quidem, ſed infirmus quodammodo ſubvenire poterit, qui ſuis imaginibus ne innocentes gravi iugo miſeriæ premerentur ſubvenire non potuit; ut eum dicas voluiſſe quidem quia iuſtus eſt, ſed non potuiſſe quia omnipotens non eſt. Atque ita de his anguſtijs exeas ut fidei caput perdas: quæ fide primitus in ſymbolo confitemur, credere nos in Deum Patrem omnipotentem. Deus igitur tuus in tot & tantis malis quæ parvuli patiuntur, aut iuſtitiam, aut omnipotentiam, aut ipſam curam rerum humanarum eſt perditurus. Quodlibet autem iſtorum dixeris vide quid egeris.* Et in libro ſecundo ejuſdem ſecundæ lucubrationis contra Iulianum: *Propter quod ergo affliguntur parvuli, ſi nullum habent omninò peccatum? An omnipotens & iuſtus Deus, iniuſtas pœnas à tot innocentibus prohibere non potuit?* Non poſſet luculentius Auguſtinus quid de pura natura ſentiat promere quam dicendo, quod non poſſit Iulianus in illa puræ naturæ quam prædicabat hypotheſi rationem tot miſeriarum dare, quibus torquentur parvuli, quam fidem violando, qua Deus & juſtus, & omnipotens, & curam rerum humanarum habere creditur. Quod argumentum velut invictum aduerſus quaſlibet hypotheſes, & errores, & arietes oppugnantium creberrimè repetit, eadem illa Dei attributa ponderans, ſine quibus divina prouidentia exerceri aut explicari nequit. Nam aduerſus eundem Iulianum in priore lucubratione ſtatum puræ naturæ in parvulis prædicantem: *Magiſq́ iniquus aut infirmus oſtenditur* (Deus) *ſi iugum grave ſuper filios Adam à die ſicut ſcriptũ eſt nativitatis eorũ uſque in diem ſepulturæ in matre omnium, ſub quo iugo imago eius atteritur, aut ipſe nullo vel originali, vel proprio præcedente peccato, aut quilibet aliud ipſo imponit invito.* Et libro quinto: *Suorum tantos cruciatus conſpiciunt parvulorum, ut ſub Creatore optimo atque iuſtiſſimo nullo modo imago eius in illa ætate tanta mala pateretur ſi non eſſet originale.* Vbi in Creatore ponderat omnipotentiam, in optimo bonitatem, in juſtiſſimo æquitatem. Præclariſſimè verò ſubvertit puræ naturæ ſtatum cui tot miſerias aſſcribebat Iulianus in fine libri quarti ubi ſingula effugia illius anguis lubrici ſollicitè claudit: *In ijs*, inquit, *quæ meminiſſe iam non potes, parvulos intuere quot & quanta mala patiantur, in quibus vanitatibus, cruciatibus, erroribus, terroribus creſcant. Deinde iam grandes, etiam Deo ſervientes tentat error ut decipiat; tentat labor aut dolor ut frangat; tentat libido ut accendat; tentat mœror ut ſternat, tentat typhus ut extollat. Et quis explicet omnia feſtinanter quibus gravatur iugum ſuper filios Adam?* Ecce mala quibus puræ naturæ ſtatus viret & floret. Iam vide, quomodo ipſe remotâ eorum cauſa peccato, defendi ſine omnipotentiæ vel iuſtitiæ divinæ violatione non poſſit: *Huius evidentia miſeriæ, gentium Philoſophos nihil de peccato primi hominis, ſive ſcientes, ſive credentes compulit dicere ob aliqua ſcelera ſuſcepta in vita ſuperiore pœnarum luendarum cauſa nos eſſe natos &c. Apoſtolus autem amputat opinionem qua creduntur ſingulæ animæ pro meritis anteactæ vitæ diverſis corporibus inſeri.* Ecce ſublatum omne ſuperioris vitæ peccatum. Iam vide ad quas anguſtias adverſarium puræ velut naturæ miſerias crepantem adigat: *Quid igitur reſtat, niſi ut cauſa iſtorum malorum ſit, aut iniquitas, aut impotentia Dei, aut pœna primi veteriſq́ peccati? Sed quia nec iniuſtus nec impotens eſt Deus, reſtat quod non vis, ſed cogeris confiteri, quod grave iugum non fuiſſet niſi delicti originalis meritum præceſſiſſet.* Nimirum apertiſſimè concludit, adverſus eum qui velut puris naturalibus ea mala tribuebat, tantum abeſſe hoc dici poſſit, ut velit nolit ad confitendum peccatum adigatur, vel certè injuſtum vel impotentem eſſe Deum qui ſine ullo præcedente peccato,

tot

Marginal notes (left): Ita conſitetur ipſe Auguſtinus lib. 1. retract. ... cap. 11. — Lib. 1. de lib. arb. c. 1. — Ibidem lib. 3. cap. 18. — Lib. 1. oper. imperf. c. 50 — Lib. 2. ... c. ...

Marginal notes (right): Lib. 2. contra Iul. c. 1. — Lib. 5. c. 1. — Lib. 4. contra Iul. cap. ult. — Ibidem.

tot miſerijs plectit immeritos. Quod profectò abſurdiſſimè & falſiſſimè concluderet, ſi Deus poteſt ſine ulla iniquitate vel impotentia ſua, ſolo liberæ ſuæ voluntatis & abſolutæ dominationis arbitrio, cum illis miſerijs humanam naturam inſtituere.

Nec verò adverſus Iulianum tantum, ſed & in alijs operibus ſuis paſſim docet, nullo modo poſſe tantorum malorum cauſam quibus puræ naturæ ſtatus affligi poſſe dicitur Deo tribui, ſine læſione juſtitiæ vel poteſtatis ejus. Nam in ſermonibus ad populum: *Magnorum omnium noſtrorum cauſa peccatum eſt. Non enim ſine cauſa homines mala iſta patiuntur. Iuſtus eſt Deus, omnipotens eſt Deus, nullo modo iſta pateremur ſi non mereremur.* Et in libro octoginta trium quæſtionum, quæſtione 24. cùm ratiocinando conſtituiſſet mundum regi providentia & nihil in eo caſu fieri, *Hoc*, inquit, *conſtituto conſequens videtur ut quidquid in mundo geritur, partim divinitus geratur, partim noſtra voluntate. Deus enim quovis homine optimo atque juſtiſſimo longè atque incomparabiliter melior & juſtior eſt. Iuſtus autem regens & gubernans univerſa, nullam pœnam cuiquam ſinit immeritò infligi, nullum præmium immeritò dari. Meritum autem pœnæ peccatum & meritum præmij rectè factum.* Et uberius quæſtione octogeſima ſecunda, omnes rimas obſtruit, per quas elabi poſſet, qui præſentis vitæ miſerias, ſine peccati iniquitate contingere poſſe crederet. Cùm enim eorum protuliſſet querimoniam qui bonos affligi moleſtè ferunt, quæ ſanè omnium infirmorum ſemper fuit & Chriſtianorum, & maximè gentilium Paganorum, ſic omnium ſuſpiciones placare ſatagit, ut ſi peccata removerentur non niſi cum Dei injuria miſeriarum tantarum cumulum in immeritos irrumpere potuiſſe fateatur: *Sed ijs tamen*, inquit, *qui putant injuſtum Deum, cùm juſtos in doloribus & laboribus viderit, aut certè ſi non audent injuſtum Deum dicere, vel res humanas non curare arbitrantur, vel ſemel ſtatuiſſe neceſſitates fatorum, contra quas nec ipſe aliquid facit, ne ordinem rerum à ſe diſpoſitum inconſtantia turbare credatur; aut aliquid aliud opinantur quod Deus in aliquo invalidus non poſſit à juſtis iſta mala prohibere, dicendum eſt.* Habes hic omnes nobiliores ſuſpiciones hominum, juxta quas vel in injuſtitiam Dei retorquetur, vel in providentiæ vaſtitatem, vel in infirmitatem ejus, vel in fata ab ipſo conſtituta, hoc eſt in ordinationem ejus immutabilem, qua conſtituit ut ille ordo rerum ageretur, quo etiam juſti paterentur mala, ſub quo membro etiam Pelagianorum pura natura continetur. Ille quippe rerum ſtatus immutabili lege etiam juſtiſſimos quoſque cruciat malis. Videamus ergo quid ad illa ex Auguſtini mente dicendum ſit: *Dicendum eſt*, inquit, *nullam futuram fuiſſe juſtitiam in hominibus, ſi res humanas non curat Deus, quia omnis iſta hominum juſtitia, quam & tenere animus humanus rectè faciendo poteſt, & peccando amittere, non imprimeretur animæ, niſi eſſet aliqua incommutabilis juſtitia quæ integra inveniretur à juſtis, cùm ad eam converterentur; integra relinqueretur à peccantibus cùm ab eius lumine averterentur. Quæ juſtitia incommutabilis utique Dei eſt; nec eam porrigeret ad illuſtrandos ad ſe converſos ſi res humanas non curaret.* En tibi profligatos eos qui Dei providentia mundum non curante juſtos affligi putant. Iam pergit ad eos qui Deo ſic ordinante hoc fieri poſſe putant: *Si verò propterea gravia perpeti juſtos ſineret, quia contra ordinem rerum à ſe diſpoſitum nollet venire, nec ipſe juſtus eſſet, non quia diſpoſitionem ſuam ſervare nollet, ſed quia ita diſpoſuit ipſum ordinem rerum ut immeritis pœnis juſti affligantur.* Quid manifeſtius quam non poſſe Deum talem rerum ordinem conſtituere ut immeritis pœnis juſtus affligatur? Quod ut clarioribus verbis apud Scholaſticos loquatur Auguſtinus, non eſt aliud dicere quam injuſtum fore Deum ſi talem ordinem rerum ſive in pura natura, ſive in integra & ſanctificata, ſive in alia quacunque inſtitueret, ut immeritis pœnis juſti affligantur. Ex quo apertè ſequitur, puram naturam in qua promiſcuè juſti injuſtique, vel potius omnes omninò juſti immeritis torquentur pœnis eſſe impoſſibilem, nec aliter poſſibilem fieri poſſe niſi vel injuſtitiam, vel invaliditatem tribuamus Deo, vel providentiam adimamus, atque ita, quemadmodum etiam contra Iulianum dixerat, *caput fidei perdamus, ut de eis anguſtijs exeamus.* Vnde etiam ſtatim ſubjicit: *In aliquo autem Deum eſſe invalidum ad repellenda mala quæ juſti patiuntur, quiſquis opinatur, ideo deſipit, quia non intelligit, ſicut nefas eſt injuſtum Deum dicere, ita nefas eſſe omnipotentiam negare.* Concludit itaque non alia ex cauſa hoc contingere niſi de peccato & reliquijs ejus hoc eſt ut ipſe loquitur, *vel de ipſo morbo nondum ſanato vel de adjutorio medicinæ, quæ* ut ægrotantibus nobis tam acerba imponeretur morbus meruit.

Neque verò Philoſophos, Manichæos, atque Pelagianos tantum, apud quos omnes ſola pura natura ſine gratia, & ſine peccati creaturæ aſſcribitur, hoc argumento fregit Auguſtinus, hypotheſes improbavit, tanquam qui Dei majeſtatem nefaria ſuarum hypotheſeon impietate violarent: ſed etiam ex ejuſdem ipſius argumenti evidentia & certitudine graviſſimos cruciatus ipſe uſque ad finem vitæ paſſus eſt. Cùm enim nunquam intelligere poſſet quo pacto anima rationalis, ſi nova unaquæque à Deo crearetur peccati originalis poſſet eſſe rea, nunquam etiam intelligere conſequenter potuit, quo pacto juxta illam ſententiam in qua anima parvulorum innocens naſci videbatur, ſicut Pelagiana hæreſis aſſerebat, tot cruciatibus & miſerijs ſine violatione divinæ providentiæ vel omnipotentiæ vel juſtitiæ poſſet affligi. Audi ipſum quanta ingenuitate ingentes animi ſui anguſtias ex hoc ſolo capite naſcentes confiteatur, & opem ut inde liberari poſſit alienæ eruditionis imploret; *Sed cùm ad pœnas ventum eſt parvulorum, magnis mihi crede coarctor anguſtijs, nec quid reſpondeam prorſus invenio: non ſolùm eas pœnas dico quas habet poſt hanc vitam illa damnatio, quo*

*neceſſe*

Margin notes: Serm. 139. de temp. c. 3. — Lib. 83. qq. quæſt. 24. — Ibid. q. 82. — Ibidem. — Ibidem. — Epiſt. 28.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

*neceſſe eſt trahantur, ſi de corpore exierint ſine Chriſtianæ gratiæ ſacramento, ſed eas ipſas, quæ in hac vita dolentibus nobis verſantur ante oculos, quas enumerare ſi velim, prius tempus quam exempla deficient. Langueſcunt ægritudinibus, torquentur doloribus, fame & ſiti cruciantur, debilitantur membris, privantur ſenſibus, vexantur ab immundis ſpiritibus. Demonſtrandum eſt utique, quomodo iſta ſine ulla ſua mala cauſa juſtè patiantur.* Hoc eſt, demonſtrandum eſt quomodo iſta parvuli innocentes vel in pura natura, ſicut hæreſis Pelagiana ſtatuit, vel juxta ſententiam quæ animam ſine peccati contagione in corpore creari credit, juſtè patiantur.

Et quamobrem demonſtrandum iſtud eſt, cùm Deus ſit vitæ mortiſque dominus? Vt faciat de parvulis quod voluerit, cum parentibus peccantibus detrahi poſſet immortalitas, & ita in filios etiam innocentes natura mortalis propagari? Hæc enim ſunt queç Scholaſtici obvia, plana, vera, certaque eſſe ne dubitant quidem. Audi Auguſtinum multò ſublimius & religioſius rimantem iſtius difficultatis anfractus: *Non enim dici fas eſt, aut iſta ignorante Deo fieri, aut eum non poſſe reſiſtere facientibus, aut injuſtè iſta vel facere vel permittere. Num quidnam ſicut illa animalia irrationabilia rectè dicimus in uſus dari naturis excellentioribus, etſi vitioſis, ſicut apertiſſimè in Evangelio videmus porcos ad uſum deſideratum conceſſos eſſe dæmonibus, hoc & de homine rectè poſſumus dicere?* Quaſi diceret, nullo pacto. Et quæ cauſa differentiæ? *Animal eſt enim, ſed rationale, etſi mortale. Anima eſt rationalis in illis membris, quæ tantis afflictionibus punitur. Deus bonus eſt, Deus juſtus eſt, Deus omnipotens eſt, hoc dubitare omnino dementis eſt. Tantorum ergo malorum quæ fiunt in parvulis cauſa juſta dicatur. Nempe cùm majores iſta patiuntur, ſolemus dicere, aut ſicut in Iob merita examinari, aut ſicut in Herode peccata puniri. Et de quibuſdam exemplis, quæ Deus manifeſta eſſe voluit, alia quæ obſcura ſunt, hominum conjecturæ conceditur. Sed hoc in majoribus. De parvulis autem quid reſpondeamus, ediſſere, ſi pœnis tantis nulla in eis ſunt punienda peccata juſtitia. Nam utique nulla eſt in illis ætatibus examinanda.* Nonne ridiculum eſt hoc ſuſpicari, quod Auguſtino in mentem nondum venerat Deum eſſe vitę & mortis auctorem? Eſſe abſolutum creaturarum dominum? Mortalitatem parentum peccantium etiam in filios non peccantes poſſe propagari, ſicut patri aufertur peccanti feudum, quo & innoxij filij carent? Hæc enim ſunt quæ velut limatius excogitata proferuntur. Nempe hæc ipſa ſunt quæ Auguſtinus erga creaturam rationalem quæ eſt objectum juſtitiæ & injuſtitiæ, nullo modo ſine culpa creaturæ vel injuſtitia, vel infirmitate, vel ignorantia creatoris fieri poſſe teſtatur, & in ſcriptis ſuis tota vita aſſeverantiſſimè teſtatus eſt. Idcirco enim paſſim contra Pelagianos, contra Manichæos, contra Philoſophos qui mortalitati parvulorum velut in puris naturalibus prodeuntium iſta tribuebant, ſemper clamat, Mundus regitur divina providentia, Deus bonus eſt, Deus juſtus eſt, Deus omnipotens eſt, hoc dubitare omnino dementis eſt; tantorum ergo malorum quæ parvuli patiuntur, juſta cauſa proferatur. Et reclamantibus, iſtum Deus ordinem ſuâ voluntate diſpoſuit, reſpondet Auguſtinus; Nec ipſe juſtus eſt, quia ita diſpoſuit ipſum ordinem rerum ut juſti vel innocentes immeritis pœnis affligantur. Ex quibus perſpicuum eſt nunquam Auguſtinum tantas afflictiones, quantas etiam parvulos in hac mortalitate pati cernimus, cum divinæ providentiæ attributis conciliare potuiſſe, ſi natura vel ab initio pura, vel etiam parentibus licet peccantibus, in poſteris tamen quoquo modo expers iniquitatis, naſci poneretur.

## CAPVT VIII.

### Iuſtitia Dei funditus evertitur juxta Auguſtinum per ſtatum puræ naturæ.

Et quamvis Auguſtinus in ſuperius allegatis, & alijs non paucis locis indeterminatè ſemper colligat, Dei providentis regentiſque mundum, vel omnipotentiam, vel bonitatem, vel ſcientiam, vel juſtitiam lædi, ſi miſerias mortalitatis hujus, ſine peccato creatura rationalis pateretur; ſæpiſſimè tamen adverſus eoſdem naturæ puræ fabros Pelagianos determinatè conficit, juſtitiam Dei funditus tolli, nec ullâ ratione poſſe defendi. Quiſquis enim Deum verum colit, ſicut Pelagiani ſe colere fatebuntur, de Creatoris omnipotentia, & bonitate non facile dubitat. Nam ſtatim in initio ſymboli Apoſtolici quod omnibus in ore Chriſtianis eſt, Eccleſia Chriſtiana profitetur, *Credo in Deum Patrem omnipotentem creatorem cœli & terræ.* Quomodo ergo facile neget ſupremum omnium Creatorem eſſe omnipotentem qui creavit omnia? Eſſe bonum qui dedit omnia? Eſſe ſcientem atque ſapientem qui excogitavit omnia? Sed hac ſuppoſita fide, juſtitia ſtatim tota periclitatur tot tantorumque miſeriarum immiſſione ſine ullo immerito præcedentis iniquitatis; propria enim juſtitiæ materia, eſt ſuum cuique tribuere, quomodo autem innocenti tanta miſeria debeatur, & conſequenter juſtè ſuum tribuatur, quacumque vel integræ, vel puræ naturæ ſuppoſitione, nunquam intelligi poſſe innumeris locis Auguſtinus docuit. A qua doctrina quia multa pendent, operæ pretium eſt attendere, quantâ certitudine & conſtantiâ, Pelagianis Auguſtinus eam objecerit, & quam nihil ei vel in ſpeciem reſponderi ab eis poſſe judicaverit, qui puram naturam velut

omnium

omnium iſtarum miſeriarum fontem mordicus tuebantur. Itaque Iulianum qui præ ceteris Pelagianis naturæ puræ miſeriarumq; omnium velut naturalium buccinator erat celeberrimus, ut jam aliquoties ex proprijs verbis ejus declaravimus, ita retundit ex conſideratione juſtitiæ Dei: *Deus autem iuſtus ſi tanta parvulu mala quanta nunc dicere non ſufficio, nihil peccati trahentibus irrogaret*, ſicut ponebat ratione puræ naturæ Iulianus, *magis appareret iniuſtus.*

Lib. 2. cont. Iul. cap. 10.

Et lib. 3. ejuſdem operis: *Malum ſi nullum* (parvuli) *ex origine traherent, nunquam cum vitijs vel corporalibus naſcerentur. Deus enim qui eſt animarum, ipſe eſt etiam corporum conditor, qui utique humanæ in ipſa conditione naturæ vitia non infligit immeritæ.*

Lib. 3. c. 6.

Et lib. 6. *Contra cuius* (Eccleſiæ) *viſcera, ſatis acutis telis tibi videris armatus; de iuſtitia Dei contra iuſtitiam Dei colligens argumenta. Tunc enim eſt Dei vera iuſtitia, ſi grave iugum ſuper filios Adam non eſt iniuſtum. Quomodo autem non eſt iniuſtum iugum grave, ſi nullum eſt in parvulis malum, propter quod iuſte iugo premantur gravi?*

Lib. 6. c. 5.

B

Hoc autem jugum grave miſeriarum omnium pondus comprehendit, quo genus humanum in hac ærumna mortalitatis atteritur, à primis fletibus naſcentium, uſque ad extremos gemitus morientium. Hoc autem jugum non eſt aliud quam illud quod pura natura ſecum trahit & puræ naturæ munus reipſa cenſebat eſſe Iulianus. De cujus proinde jugi injuſtitia ſæpè conqueritur Auguſtinus, ſi vera eſſet Pelagiana ſententia, quod eo genus humanum ſine peccati iniquitate premeretur. Nam in eodem libro: *Quod ſi falſum eſſet* (quod ſcilicet ex iniquitate parentum ſumus rei) *profectò iugum grave ſuper filios Adam nullo modo iuſtum eſſet.*

Ibid. c. 10.

Et libro primo operis imperfecti: *Vos quod dicitis potius non poteſt ulla iuſtitiæ ratione defendi: quia miſeria generis humani, à qua nullum hominum ab exortu uſque ad obitum videmus alienum, non pertinet ad omnipotentis iuſtum iudicium, ſi non eſt originale peccatum.*

Lib. 1. oper. imperf. f. 6.

C

Et multis interpoſitis: *Ex hac æquitate, grave iugum eſt ſuper filios Adam à die exitus de ventre matris eorum, quod omninò eſſe aſſeris iniquum, qui negas originale peccatum. Oſtende enim iuſtum eſſe ut cum tam manifeſta miſeria, vel ad tam manifeſtam miſeriam naſcatur, à quo peccatum originale non trahitur.*

Ibid. f. 26.

Et iterum: *Errátis, vos potius iniquum cogimini confiteri grave ſuper parvulos iugum, ſi quemadmodum nullum habent proprium, ita nullum trahunt originale peccatum.*

fol. 27.

Et aliquanto poſt: *Dic ergo, qua iuſtitia retributum ſit parvulis, grave iugum tam magnæ manifeſtæq; miſeriæ.* Et quibuſdam interjectis: *Deinde ſi aggravata ætas illa* (parvulorum) *iniquitatem iudicis convincit ut dicis, itane non eſt aggravata gravi iugo ſuper filios Adam? Et tamen non eſt hinc iniquus Deus, ac per hoc merito eſt aggravata. Nullum eſt autem huius ætatis meritum malum, ſi non eſt originale peccatum.*

Ibid. f. 63.

D

Et iterum efficacius: *Tu facis iniuſtum Deum, ſub cuius omnipotentis cura, cùm videas gravi iugo miſeriæ parvulos premi, nullum eos peccatum habere contendis, ſimul accuſans & Deum & Eccleſiam: Deum quidem ſi gravantur & affliguntur immeriti.* Et aliquanto poſt: *Vos autem qui omnipotentem Deum non negatis, in gravi iugo parvulorum, credi vultis iniuſtum, negando originale peccatum.*

Ibid. f. 65. & 66

Ibid. f. 175.

Et libro ſecundo illius poſtremi operis contra Iulianum: *In illo gravi iugo, quo etiam parvuli premuntur, quomodo iuſtus eſt Deus, ſi nullus naſcitur reus?*

Lib. 2. oper. imperf. fol. 345.

Et rurſum: *Ipſa te convincit in parvulis æquitas Dei, quam* (forte quæ) *magna eſt iniquitas, ſi iugo gravi premuntur & parvuli, ſine ullo merito vinculoque peccati.*

Ibid. f. 348.

Dies me pœnè deficeret, ſi loca omnia recenſere velim, quibus iniquitatem Dei manifeſtam eſſe concludit, ſi tantarum miſeriarũ jugum, quo videmus humanum genus etiam in parvulis premi, Deus innocentibus in creatione iuxta ſtatum puræ naturæ à Iuliano prædicatum impoſuerit. Quod jugum ideo toties tanta cura commemorare ſe dicit, ut *cervicem eius ſi non inflexerit frangeret*, hoc eſt ut illius iniuſtitiæ conſideratione velut invicto argumento duritia Pelagiana frangeretur, quæ ſtatum puræ naturæ velut jugum tot miſerijs oneratum humano generi ſine ullius merito iniquitatis imponebat.

Ibid. f. [illegible]

Hanc enim injuſtitiam quam inferebat Deo, etiam nulla jugi factâ mentione, ſed clariſſimis verbis miſeriæ magnitudinem ponderans, exprobrat paſſim iſtis adverſarijs ſuis in omnibus libris ſuis: *Iudicia Dei vos tamen evertitis, qui generis humani miſerias incipientes à [illegible] parvulis, ſine ullo peccati merito fieri dicitis.*

Et in libro ſecundo, cùm Iulianus prædicaret æquitatem Dei: *Propter quid ergo*, inquit, *affliguntur parvuli ſi nullum habent omninò peccatum? An omnipotens & iuſtus Deus iniuſtas pœnas à tot innocentibus prohibere non potuit?* Et inferius: *Cur non potiùs miraris univerſi generis humani ab exordio nativitatis totam miſeriam, ut nemo beatus, niſi ex miſero, neque niſi poſt hanc vitam malis omnibus careat, cui per Dei gratiam præſtatur ut careat? Et hoc mirando te corrigis*, ab illo errore quo ſcilicet eas inſtitutioni puræ naturæ tribuis, *& iuſtum Dei iudicium in generis humani non iniuſta afflictione cognoſcis?* Hoc eſt, cur non agnoſcis ex magnitudine miſeriarum quibus affligimur, & ex juſtitia Dei errorem eſſe, quo genus humanum tot miſerijs ſine peccati merito affligi poſſe deliras? Nam hoc inſani cerebri delirium eſſe multò inferius apertiſſimè profitetur: *Nam ſi ſano cerebro conſiderares humanæ vitæ miſerias à primis fletibus infantium uſque ad extremos gemitus morientium, videres profectò quod nec ego nec tu, ſed ille Adam fuerit caput horum & cauſa malorum: quod nolens videre clauſis oculis clamas, & iuſtum Dei eſſe iudicium, & non eſſe originale peccatum. Quæ duo inter ſe quam ſint contraria procul dubio cerneres, ſi ſanum caput haberes.*

Ibid. [illegible]

Ibid. f. [illegible]

Et utrimque conjungens, jugum iſtud videlicet toties commemoratum, ingenteſque miſerias, ut quid eſſet jugum iſtud exponeret: *Cùm dicitis nullum peccatum parvulis imputandum, iniuſtum facitis Deum, qui eis grave iugum à die exitus de ventre matris impoſuit. Quod etſi Scriptura non diceret, quis tam cæcus eſt mente qui non videat miſeriam generis humani, à fletibus incipere parvulorum? &c. Si autem reatus iſte ori-*

Ibid. f. [illegible]

ginis

a

*genis è Scriptura ſancta proditur, & ipſe ſe prodit*, videlicet ex iſta miſeriarum magnitudine quæ innocentibus imponi ſine peccati iniquitate non potuit. Hæc aliaque plurima quæ adduci poſſent tædioque prolixitatis prætermittimus, ſine ulla quantum arbitror, ambiguitate probant, veriſſimum eſſe quod ſupra diximus, nulla ratione ſecundum Auguſtini mentem ſexcenties explicatam defendi poſſe juſtitiam Dei, ſi miſerias puræ naturæ huma- A no generi ſine merito præcurrentis iniquitatis imponeret. Hoc enim eſt ipſiſſimum illud quod Pelagianis toties tanta verborum acrimonia tanta ratiocinandi certitudine, tanta veritatis ſecuritate exprobrat. Illi quippe hoc aſſerebant reipſa factum, quod Scholaſtici fieri poſſe dicunt: ut ſine ullo peccato vel proprio vel alieno genus humanum tot calamitatibus affligatur, quot ille ſtatus infallibili lege poſt ſe trahit.

## CAPVT IX.

### Non procedunt Auguſtini argumenta ac teſtimonia ex hypotheſi ſtatus gratiæ & ſupernaturalis.

QVID ad iſtam luculentiſſimæ doctrinæ claritatem cum aliquo probabilitatis colore reſponderi poſſit, fateor equidem prorſus ignoro. An fortè Auguſtinum loqui ex ſuppoſitione præſentis ſtatûs, quo homo in gratia conditus, & ita conſequenter ad ſupernaturalem ſtatum elevatus & in felicitate miſeriarum experte collocatus fuit? Hoc enim videor mihi ſemel reſpondentem quemdam audiviſſe, cum uno loco ex tot adductis inopinatè premeretur, nec ſatis ei occurreret, quid reſpondere poſſet. Sed profectò quiſquis non nimium ſupinus ea quæ hoc tractatu diximus ponderaverit, facile videbit nihil abſurdius, & à veritate alienus poſſe reſponderi. Nam in primis quid illa hypotheſis ad purgandam Scholaſticorum doctrinam facit? Ipſi enim apertè docent Adamo ſolo peccante & ex Paradiſi felicitate in mortalitatis miſerias delabente, ſine ulla iniquitate parvulos eodem totius mortalitatis jugo potuiſſe premi. Hoc enim ſimilitudine humanorum judiciorum, juxta quæ filios bonis ac privilegijs propter ſola parentum peccata ſpoliari fas putatur, velut extra controverſiam poſitum probant. Ipſi rurſum apertiſſimè docent, non ſolum Adamum & parvulos ſed etiam univerſum humanum genus mortalitatis ærumnis permitti ſine ulla Dei iniquitate potuiſſe, quantumvis eum, libera videlicet voluntate ſua, Deus in paradiſi felicitate collocaſſet. Ipſi denique vel potiùs eorum aliqui palam docent, Sanctos omnes imo Beatos omnes nemine excepto, ad æternas pœnas ſine ulla Dei injuſtitia damnari poſſe. Quid igitur ad propoſitum facit, etiamſi Auguſtinus, humanum genus in paradiſi felicitate ſine miſerijs ullis collocatum eſſe ſupponeret?

Sed ut paulò preſſius talem hypotheſin conſideremus, quid ineptius, quid abſurdius, imo quid ſtultius ac delirius, ab Auguſtino tanquam confeſſum, ab adverſario ſupponi poſſet, quam id cujus contradictorium expugnandum erat, & quod adverſarius ejus mordicùs tuebatur? Iulianus enim, totaque hæreſis Pelagiana velut anchoram ſacram, unde tota erroris illius pendebat ſalus, iſta duo dogmata tuebatur, quod *Adam ſive pecca-* A *ret ſive non peccaret, moriturus eſſet*; quod *infantes cum omnibus* videlicet illis quas videmus miſerijs *in illo ſtatu naſcerentur, in quo Adam ante prævaricationem fuit.* Quid igitur inſanius, quam contradictorium theſis ſui antagoniſtæ velut certum ſumere, & ejus doctrinas capitales, quibus tota erroris moles nititur velut falſas ante certamen convictaſque ſupponere? Nonne has in primis oppugnare, revincere, evertere oportuit, ne alioquin turpiſſimo diſputationis ludibrio principium petere, & ab adverſario, vel quolibet Philoſophiæ tyrone velut imperitus & ſtolidus diſputator exploderetur? Nam tali probationis compendio, quo id velut extra controverſiam ſumitur, quod in quæſtione verſatur, id falſum ſupponitur, quod tuetur adverſarius, omnes hæreſes facile quilibet de foro profligaverit. Cujus abſurditatis atque ſtoliditatis, quia nemo Scholaſticorum qui aliquid litteris mandandum cenſuerit poſteritati, ſe fuiſſe exiſtimari velit, non inferiorem quæſo de B Doctorum omnium principe nos opinionem habere ſinant: alioquin & Eccleſia periclitabitur victoriam infirmitatibus & fraudibus partam de Pelagianis venditaſſe.

Sed benè ſe habet quod ipſe ſanctus Auguſtinus prorſum hujuſmodi opinionem, de ſe removerit. Plurimis enim ſcriptorum ſuorum teſtimonijs patefecit; ſe optimè intellexiſſe hypotheſim Pelagianam, qua parvulos in puris naturalibus naſci ſtatuebant, illamque non velut falſam ſuppoſuiſſe, ſed per juſtitiæ evidentiam & certitudinem convicisse. Quid enim aliud ſibi volunt illæ emphaticæ evaſiones quibus adverſarios pura naturalia delirantes petit; *Vos quod dicitis non poteſt ulla juſtitiæ ratione defendi: Vos erratis: vos iniquum cogimini confiteri grave jugum: vos qui omnipotentem non negatis Deum credi vultis injuſtum: Iudicia Dei vos evertitis: vos injuſtum facitis Deum qui generis humani miſerias ſine ullo peccati merito fieri dicitis.* Quid aliud illæ quibus invadit Iulianum? *Tu omninò aſſeris injuſtum Dei judicium: Tu facis injuſtum Deum: Ipſa te convincit æquitas Dei: Oſtende juſtum eſſe ut cum tam manifeſta miſeria naſcantur parvuli ſine ullo merito vinculoq; peccati?* Quid & illæ? *Cur non miraris humani generis miſeriam? Cur non mirando ab illo errore te corrigis? Clauſis oculis*

*oculis clamas juſtum eſſe Dei judicium, & non eſſe originale peccatum.*

Quid enim ſignificant vel ſignificare poſſunt aliud iſta, niſi prorſus impoſſibile eſſe, ut ſtatus puræ naturæ quem prædicabant tot miſerijs cumulatus cum divina æquitate conſiſtat? Nam illa duo ex nulla hypotheſi quam negaſſet adverſarius, ſed ex ipſis terminis ita repugnare ut conciliari nequeant apertiſſimè dicit, quando pro ratione ſubjicit: *Quæ duo inter ſe quam ſint contraria procul dubio cerneres ſi ſi ſanum caput haberes.*

Quod ſi necdum quiſpiam induci poſſit ut credat, non ex hypotheſi, ſed ex ipſa natura juſtitiæ Auguſtinum arguere, & puræ naturæ ſtatum evertere, velut ex ipſa ſua formali ratione divinæ juſtitiæ repugnantem, audiat illa clariora, quæ haud ſcio an non perinde atque in terminis pura illa naturalia velut injuſta ſubvertant. Nam libro tertio B contra Iulianum primitùs & ante omnia præmittit Auguſtinus hypotheſim adverſarij ſui de puris parvulorum naturalibus, ut eum expugnare poſſit:

*Lib. 3. cont. Iul. cap. 4.*

*Naturam dicis humanam innocentiæ dote locupletem.* Hoc eſt naturam humanam ab omni peccato innocentem naſci; quam quia paulo ante etiam *adoptionis* expertem eſſe dixerat, conſequenter eam in ſtatu

*Lib. de pecc. orig. c. 13.*

purè naturali, *ſine virtute, ſine vitio*, ut alibi loquitur, naſci fatebatur. Iam vide quo pacto illum ipſum ſuppoſitum à Iuliano puræ naturæ ſtatum, ex ipſa divina æquitate tali ſtatui diametraliter repugnante convellat: *Reſpondete*, igitur, *quo merito tanta innocentia nonnunquam cæca nonnunquã ſurda naſcatur: quod vitium etiam ipſam impedit, fidem.* Et mox: *Iam vero quis ferat, quod ad ipſum ſpectat animum, imaginem Dei innocentiæ, ſicut aſſeris, dote locupletem fatuam naſci, ſi nulla ex parentibus mala merita in parvulos tranſeunt? An ita eſt* C *quiſquam veſtrum fatuus ut fatuitatem nullum malum putet?* &c. *Quis autem neſciat, quos vulgo moriones vocant, natura ita fatuos, ut quibuſdam eorum pæne ſenſus pecoris conferatur? Et non vultis fateri genus humanum ex initio quo deſeruit Deum, trahere damnatæ originis noxam, his omnibus digniſſimam pœnis* &c. Nonne perſpicuum eſt hypotheſin purę naturę ex ipſa nuda puraq; Dei juſtitia neminem ſine meritis affligente ſubverti? Nonne verba ipſa clamant ex tot miſerijs naturam conterentibus, convinci falſum eſſe id quod Iulianus dixerat, naturam eſſe innocentiæ dote locupletem? Audi aliud magis adhuc, ſi dici poteſt, manifeſtum, quo ex divina juſtitia in tot miſerijs infligendis elucente, ipſam illam naturalem innocentiam quæ in pura natura prædicatur, nominatim velut impoſſibilem ſubruit:

*Lib. 1. oper. imperf. ſ. 49.*

*Si tibi* A *placet innocentia parvulorum, remove ab eis, ſi potes grave jugum quod eſt ſuper filios Adam a die exitus de ventre matris eorum. Sed puto quod ſcriptura quæ hoc dixit, melius te noverat, quid eſſet innocentia creaturæ & quid juſtitia Creatoris. Quis autem non videat, ſi habent parvuli qualem prædicas innocentiam, in gravi jugo eorum Dei non eſſe juſtitiam? Porro quia in jugo gravi eorum divina juſtitia eſt, non eſt in eis talis qualem prædicas innocentiam.* Et libro ſecundo ejuſdem operis imperfecti, Pelagianam hypotheſin his verbis de morte refert: *Quam vos homini, etiamſi non peccaſſet dicitis naturaliter fuiſſe venturam.* Et adverſus eam ibidem opponit juſtitiam Dei:

*Lib. 2. oper. imperf. ſ. 459.*

*Quas miſerias vos cùm ſine ullo peccato accidere dicitis parvulis, injuſtum Deum adverſus eos dicitis.*

*Ibidem.*

Verba locorum iſtorum clara ſunt, concluſio perſpicua, ratio cui argumentum nititur ſole nitidius lucet.

Itaque nihil addo, ne divini eloquij quo Eccleſia per Auguſtinum Pelagianos vicit, obtundatur ſapor. Vnum tantum dico tam apertam, tam luculentam, tam invictam Auguſtino viſam eſſe pugnam inter innocentiam creaturæ, qualis in ſtatu puræ naturæ prædicatur, & miſerias quas ſibi conſertas habet, ut palam dicat, ex iſto laqueo exiri ſine violatæ divinitatis impietate blaſphemiaque non poſſe. *Niſi forte*, inquit, *tibi in hac quæſtione laboranti, Deus juſtus quidem ſed infirmus quodammodo ſubvenire poterit, qui ſuis imaginibus ne innocentes gravi jugo miſeriæ premerentur, ſubvenire non potuit: ut enim dicas voluiſſe quidem quia juſtus eſt, ſed non potuiſſe quia omnipotens non eſt. Atque ita de his anguſtijs exeas, ut fidei caput perdas, qua fide primitùs in ſymbolo confitemur credere nos in Deum Patrem omnipotentem. Deus igitur tuus*, videlicet puræ naturæ fabricator, *in tot & tantis malis quæ parvuli patiuntur*, AVT IVSTITIAM, AVT OMNIPOTENTIAM, AVT IPSAM CVRAM RERVM HVMANARVM *eſt perditurus. Quodlibet autem iſtorum dixeris, vide quid egeris.* εὐφημία eſt qua blaſphemiæ impietatem contrahi notat, quam paulò poſt exſertè ponit: *Vide ne tu potiùs reus ſis qui blaſphemas iſtum Sanctorum martyrum Deum. Dicis te colere omnipotentiſſimum, æquiſſimum, miſericordiſſimum Deum, ſed ipſe eſt omnipotentiſſimus qui grave jugum quo premuntur filij Adam ex die nativitatis ſuæ procul dubio ab eis poſſet auferre, imo nec ullo modo imponeret imponive permitteret niſi peccata in eis cum quibus nati ſunt inveniret, quorum reatum renatis idem ipſe miſericordiſſimus ſolveret. Si ergo te delectaret divina juſtitia videres profectò quid ex ipſa veniat non utique injuſtè à parvulis incipiens nota omnibus humana miſeria* &c.

*Lib. 1. op. imperf.* … *Ibid. ſ.* …

CAPVT

# CAPVT X.

## Non loquitur Auguſtinus de pœnis formaliter ut ſunt correlativum culpæ, ſed materialiter de quibuſvis malis prout affligunt creaturam rationalem.

PIGET jam refellere vel referre aliam non tam ſolutionem quam eluſionem doctrinæ conſtantiſſimæ ſancti Antiſtitis. Dicet enim non-nemo Auguſtinum formaliter de pœnis loqui, hoc eſt neminem puniri à Deo poſſe propriè niſi culpa præceſſerit & in hoc eſſe perſpicuam divinæ juſtitiæ cum innocentia repugnantiam. Nihil tamen vetare quo minus malo aliquo ſeu miſeria ſine ulla culpa præcedēte innocens creatura a Creatore crucietur. Sed illam non eſſe propriè pœnam, utpotè quæ eſſentialiter culpam reſpicit velut correlativum ſuum. Ita nihil in auctoribus ſacris tam manifeſtum eſt, quod non, ſi cum ſenſibus noſtris præoccupatis pugnet, neſcio quo proprio opinionis amore perturbetur. Oſtendendum igitur nobis eſt nec umbram quidem exiguam pugilis noſtri ſcripta præbere, ſub qua talis reſponſionis infirmitas, vel potiùs falſitas lateat: ſed potiùs pœnæ ubique, non de pœna ſub ratione pœnæ, ſed de malo ſub ratione mali loqui, de afflictione ſub ratione afflictionis, de miſeria ſub ratione miſeriæ, hoc eſt de malis ac miſerijs quatenus felicitatem vitiant, animam cruciant, quietam voluntatem creaturæ rationalis affligunt: Et inde concludere, hoc neceſſario eſſe pœnam ejus, nec ei ullo pacto infligi ab omnipotenti & juſto Deo, vel aliunde accidere poſſe niſi culpa præcedat, quæ tale malum, afflictionem, miſeriam cruciatumque mereatur. Nam hoc in primis ſibi vult illud ſolidiſſimũ ejus contra Manichæos fundamentum: *Creaturis præſtantiſſimis, hoc eſt rationalibus ſpiritibus hoc præſtitit Deus ut ſi nolint, corrumpi non poſſint.* Non enim dicit ut puniri ſed ut corrumpi non poſſint. Item illud: *Si peccatis detractis miſeria perſeverat, rectè deformari dicitur ordo atque adminiſtratio univerſi.* Hoc & illud contra Pelagianos: *Neque enim ſub Deo juſto miſer eſſe quiſquam niſi mereatur poteſt.* Et rurſus: *Neminem ſinit mali aliquid perpeti quod non meretur.*

[Lib. de nat. boni c. 7.] [Lib. 3. de lib. arb. c. 9.] [Lib. 1. op. imp. c. 39.]

Neque enim hic ulla pœnę ſub ratione pœnæ mentio eſt, quaſi illa nemini infligi poſſit abſque peccato, ſed de ipſis malis quibus aliquis miſer fiat. Eſt autem certiſſimum in ſtatu puræ naturæ hominẽ fore miſerum: Docent enim Scholaſtici hominem in iſto ſtatu non differre ab eo qui nunc naſcitur, niſi ut nudum à ſpoliato, neque nunc excepto peccato eſſe deteriorem. Eſt autem fidei Catholicæ hominem propter malorum iſtorum puræ etiam naturæ adhærentium ſeriem, nunc eſſe miſerum: *Homo*, inquit Iob, *natus de muliere brevi vivens tempore repletur multis miſerijs.* [Iob. 14.]

Et Apoſtolus: *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ. Infelix ego homo*, [Rom. 12.] ſeu ut Auguſtinus legit, *miſer ego homo quis me liberabit de corpore mortis hujus.* Cùm ergo afflictiones hujus vitæ, morbi, mors, repugnantia carnis & ſpiritus, nunc miſerum reddant hominem, miſerum etiam in ſtatu puræ naturæ ſine peccato reddidiſſent. Quod ſane & Philoſophi gentium ingenuè faſſi ſunt, qui Auguſtino teſte, *Vitam iſtã fallaciæ miſeriæque pleniſſimam non opinati ſunt niſi divino judicio contigiſſe.* [Lib. 4. cont. Iul. cap. 15.] Vnde ibidem dicit Ciceronem in Hortenſio *multa quæ videmus & gemimus de hominum vanitate atque infelicitate dixiſſe*, Qui & libro de Republica conqueritur *hominem non ut à matre, ſed ut à noverca natura editum.* [Cicer. lib. 3. de Repub. vid. Auguſt. ibid. c. 15.] Denique quia homo in tot malis puræ naturæ affectis naturaliter quietem deſideraret, qua nullam corporis moleſtiam pateretur. Hoc enim eodem Auguſtino auctore conſentientibus gentium Philoſophis *homines ſine magiſtro, ſine ullo doctrinæ adminiculo, ſine induſtria vel arte vivendi, velut naturaliter appetunt.* [Lib. 19. de Civit. c. 1.] Igitur cum iſtud aſſequi non poſſet in illo ſtatu, neceſſe eſt cruciaretur, & proinde miſer eſſet, juxta illud item certiſſimum Auguſtini pronunciatum: *Qui appetit, quod adipiſci non poteſt, cruciatur &c. nihil autem iſtorum animo contingit ſine miſeria: nec miſeria & beatitudo in uno homine ſimul habitare conſueverunt.* [Lib. de morib. Eccleſ. cap. 3.]

Et ſane quis mente ſobria perpetuum illum mentis & ſpiritus conflictũ quem etiam pura natura pateretur, intuens negare poſſet tunc hominem miſerrimum futurum eſſe? Vellet enim cedere ſibi concupiſcentiam quod non fieret, ergo miſerrimus eſſet dum perpetuo ejus appetitu & renſu torqueretur. Nam ut Auguſtinus ex Philoſophorum etiam ſenſu tradit, *velle quod non deceat, hoc ipſum miſerrimum eſt.* Itemque, *aliter beatum eſſe neminem poſſe niſi habendo quod vellet & nihil patiendo quod nollet.* [Lib. 13. de Trinit. c. 6. & 7.] Miſer igitur omninò eſſet homo in illo ſtatu. Cùm igitur ex profeſſo doceat Auguſtinus impoſſibile eſſe ut homo miſer ſit, niſi hoc peccato mereatur, liquet ſane Auguſtinum diſtinxiſſe ſtatum puræ naturæ non ex pœnis ſub formalitate pœnæ, ſed ex hoc nude quod affligunt, cruciant, angunt, miſerum faciunt ſine peccato præcedente.

Hoc igitur ipſum, in oppugnandis illis quas diximus hæreſeon peſtibus, ſpectaſſe Auguſtinum, ſexcentis teſtimonijs oſtendi poſſet. Nos paucis, ſed perſpicuis contenti erimus, quorum pleraque etiam ſupra recenſuimus. Nam malo ſub ratione mali nitebatur, quando ſupra dixit: *Video me in malis*

*& apud te non eſt iniquitas, nonne reſtat ut pro iniquitate erudias hominem?* Quid manifeſtius? Et illud contra Iulianum: *Deus tuus in tot ac tantis malis quæ patiuntur aut iuſtitiam, aut omnipotentiam, aut ipſam curam rerum humanarum perditurus eſt.* Et illud: *Suorum tantos cruciatus conſpiciunt parvulorum, ut ſub Creatore iuſtiſſimo nullo modo imago eius in tanta ætate tanta mala pateretur, niſi eſſet originale peccatum.* Et illud: *Malorum omnium noſtrorum cauſa peccatum eſt, non enim ſine cauſa homines iſta mala patiuntur. Iuſtus eſt Deus &c. nullo modo iſta pateremur, ſi non mereremur.* Et illud: *Deus iuſtus ſi tanta parvulis mala nihil peccati trahentibus irrogaret magis eſſet iniuſtus.* Et illud: *An ita eſt quiſquam veſtrum fatuus ut fatuitatem nullum malum putet? Et non vultis fateri genus humanum trahere damnatæ originis noxam.* Rurſum miſeria ſub ratione miſeriæ nitebatur, quando dixit: *Nunquam iſtorum eſſet æterna miſeria, niſi eſſet magna malitia.* Et illud: *Miſeria generis humani non pertinet ad omnipotentis iuſtum iudicium ſi non eſt originale peccatum.* Et illud: *Oſtende iuſtum eſſe ut cùm tam manifeſta miſeria naſcatur, à quo peccatum originale non trahitur.* Et illud: *Iudicia Dei vos evertitis qui generis humani miſerias ſine ullo merito fieri dicitis.* Et illud: *Cur non miraris univerſi generis humani totam miſeriam, & hoc mirando te corrigis ab illo errore &c.* Et illud: *Si ſano cerebro conſiderares humanæ vitæ miſerias, videres profectò quod Adam fuerit caput horum & cauſa malorum.* Et illud: *Quis tam cæcus eſt, ut non videat miſeriam generis humani*, ut ſcilicet inde reatum colligat? Et illud: *Si te delectaret divina iuſtitia videres profectò, quod ex ipſa veniat nota omnibus humana miſeria.*

Denique afflictione quacunque nitebatur, quatenus pati aliquid facit contra voluntatem, quando dixit: *Quod invitus facerem pati me potiùs quàm facere videbam, & id non culpam ſed pœnam eſſe iudicabam, quâ me non iniuſtè plecti, te iuſtum cogitans cito fatebar.* Et illud: *Propter quid affliguntur parvuli, ſi nullum habent omninò peccatum?* Et illud: *Langueſcunt ægritudinibus torquentur doloribus &c. Demonſtrandum eſt utique quomodo iſta ſine illa ſua mala cauſa iuſtè patiantur.* Et illud: *Deus iuſtus eſt &c. tantorum ergo malorum cauſa iuſta dicatur.* Et illud: *Propter quid ergo affliguntur parvuli ſi nullum habent omninò peccatum?* Et illud quo jubet *iuſtum Dei iudicium ex generis humani non iniuſta afflictione cognoſcere.* Quod ſi præter hæc omnia quæ ſuprà prolixius allegavimus plura poſcerentur, facile obruerem profectò lectorem tædio, & adverſarium teſtimonijs, quibus oſtenderetur nunquam Auguſtinum ex pœna formaliter ſub ratione pœnæ contra Pelagianos arguiſſe, ut inde peccatum præcedere debere concluderet, ſed ſemper ex ipſis malis materialibus, ex miſerijs, ex cruciatibus, ex afflictionibus, ex jugo calamitatum quibus inviti premimur, culpam collegiſſe præcedentem, hoc eſt, ex illis materialibus malis collegiſſe pœnam culpæ formalem. Quem enim in alium ſenſum, quo probabilitatis colore torqueri poſſunt iſta verba doctiſſimi Patris: *Vnde potuerunt in tantum malum ruere fatuitatis, ſi nullæ origini debetur pœna vitiatæ?* Et illa: *Itane vero tanta in parvulis mala, tu qui non invides, non vides?* Et illa luculentiſſima: *Omitto commemorare quæ mala in hac ipſa tranſitoria vita penè omnes patiantur infantes, & quomodo explicetur quod dictum eſt, grave iugum ſuper filios Adam &c. Quæ utique mala ſub iuſto & omnipotenti Deo non irrogarentur eius imagini, quibus malis in virtute exercere infantilis ætas non poteſt dici, ſi nulla ex parentibus mala merita traherentur.* Et illa adhuc apertiora: *Hæc autem mala parvulorum non ea quæ habere negantur à vobis, ſed quæ perpeti cernuntur ab omnibus nobis, tu prætermittis omninò nec reſpicis: exſpatiaris ibi vir diſertiſſimus & exerces ingenium ac linguam tuam in laude naturæ. Natura iſta in tantas & tam manifeſtas collapſa miſerias &c.* Et illa quavis luce clariora: *Quid apertius quam quod ait Apoſtolus peccatum in hunc mundum intraſſe &c. Quod ſi probare idem cogeretur Apoſtolus ipſam humani generis miſeriam teſtem daret, quæ incipit à gemitibus parvulorum, & uſque ad decrepitorum gemitus pervenit. Nullo enim modo ſub cura omnipotentis & iuſti eadem tam magna miſeria naturæ irrogaretur humanæ, niſi in duobus hominibus tota de paradiſi felicitate in hanc infelicitatem peccati merito pelleretur.* Ex ipſa videlicet ſpectabili omnium oculis miſeria quam Iulianus velut naturalem prædicabat, invictè ſe colligere putat veram eſſe Chriſtianam fidem in verbis Apoſtolicis fundatam, quæ tradunt præceſſiſſe peccatum. Quod & alibi eodem modo conficit: *Dic cauſam parvuli, dic reatum, & cur recens nato iſta contingunt? Qui non vis verba Apoſtolica ſic accipere, quemadmodum accepit ex quo eſt inſtituta Catholica Eccleſia; & quemadmodum ſuis tam perſpicuis malis confitetur natura. Et tamen in menſura & numero & pondere diſponens omnia, neminem ſinit mali aliquid perpeti quod non meretur.* Non video ſane niſi velimus de victoria non de veritate contendere, qui fieri poſſet, ut adverſus tam crebra, luculentaque teſtimonia, vel fingi poſſet, Auguſtinum contra Pelagianos Manichæoſque differentem ex pœna formaliter ſumpta, argumentum ad culpam ducere. Omnia namque unanimi altiſſimaque voce clamant, hoc eum velle, quod illa quæ oculis quotidie ſpectamus mala, afflictiones, miſeriæ, cruciatus, aut quocunque voces nomine, cum quibus humana natura oritur atque moritur, & ſub quibus omnium infelicitas gemit, convincant neceſſario præceſſiſſe peccatum. Alioquin enim nullâ ratione ab injuſtitia poſſe defendi Deum, qui creaturam innocentem tantis miſerijs titulo puræ naturæ, ut aſſerebat Iulianus, mancipaverit.

Itaque non ex pœna formaliter ſumpta ſed potius è contrario ex materialibus illis miſerijs animum cruciantibus culpam colligit Auguſtinus: & conſequenter ex eo quod ſine culpa infligi nequeunt, colligit etiam eſſe ſupplicia, hoc eſt eſſe pœnas formaliter.

Quomodo

Quomodo enim poſſet Auguſtinus ſine ridicula principij petitione ſupponere, illa mala quæ parvuli patiuntur eſſe pœnas fomaliter ſumptas ut inde culpam colligat, cùm hoc ipſum directè & in terminis negaret Iulianus? Tantopere quippè negabat omnes illas parvulorum miſerias eſſe ſupplicia ſeu pœnas formaliter ſumptas, ut eas nec mala quidem nominanda eſſe cenſeret, ſed à Creatore non puniente ſed inſtiuente creaturam ſuam naturaliter profluxiſſe. Hoc enim jam ſupra aliquoties demonſtravimus.

Hoc teſtatur etiam difertis verbis Auguſtinus: *Sine dubio fateris rebellem eſſe concupiſcentiam & ſupplicium non fateris, quod adverſus teipſum bellum geris.* Ecce fatetur concupiſcentiam eſſe rebellem voluntati & conſequenter moleſtam, ſed non eſſe pœnam formaliter quod ſupplicium dicimus. Et alibi: *Mortem qua omnes morimur non vis ex peccato in omnes feciſſe originaliter tranſitum ne cogaris fateri ſimul etiam originaliter tranſiſſe peccatum. Sentis quippe quam iniquum ſit ſine merito tranſiſſe ſupplicium.*

Lib. 6. cont. Iul. cap. 10.

Lib. 2. oper. impf. fol. 113.

Ecce apertiſſimè teſtatur Auguſtinus Iulianum nolle mortem (& ea eſt ratio de ceteris omnibus malis) eſſe ſupplicium, hoc eſt, pœnam eſſe formaliter ſumptam, imo nec ex peccato quidem accidiſſe, ne per iſtam confeſſionem culpam fateri cogeretur. Quomodo ergo Auguſtinus adverſus eum poſſet niſi delirando ſupponere, quod mors ceteraq; mala ſint pœnæ formaliter ſumptæ? Mala igitur illa materialia quatenus naturam rationalem doloribus torquent & amorē rationalis ac liberæ volūtatis fruſtrant, urget ſemper Auguſtinus, & inde concludit fieri nullo pacto poſſe ut in illo puræ naturæ ſtatu, quem Iulianus afferebat, ſine culpa præcedente ex voluntate Creatoris adhæſerint. Quod ex nulla fortaſſis luculentiori probatione cernere licet, quam ex ea qua ſupra latè declaravimus, hoc ipſo eſſe aliquod malum creaturæ rationalis, adeoq́ue miſeriam, quo diligitur bonum quod ei tollitur. Nam inde ſtatim conficit hoc accidere creaturæ innocenti nullo modo poſſe niſi per injuſtitiam Creatoris. Loca ſuperius fusè recenſita vide. Hic vnus ſufficit: *Si amatur patria magna pœna eſt* exulare à patria: *ſi autem non amatur patria peior eſt cordis pœna.* Pœnam hic vocat magnam, magnum malum. Nam ſtatim ſubijcit: *Parvum malum eſt in hominis corde qui ſocietatem non quærit ſanctorum qui non deſiderat regnum cælorum?* Iam vide quomodo ſtatim inde colligat non poſſe citra injuſtitiam tam magnum imo vel parvum innocenti infligi malum. *Hic*, inquit, *defende iuſtitiam Dei, quare vel parva pœna*, id eſt parvum malum, *infligitur innocenti in quo nullum invenitur omninò peccatum*, videlicet juxa tuam Pelagiani hominis de puris naturalibus hypotheſin.

Videl 2. de ſtatu puræ nat. cap. 4.

Serm. 14. de verbis Ap ſt. cap. 6.

# CAPVT XI.

## Nullum qualecunque malum inferri à Deo poteſt creaturæ rationali ſine culpa. Luculenta Auguſtini teſtimonia.

VT verò omnis omninò tergiverſandi anſa tollatur, non fuit contentus Auguſtinus ex generali illo miſeriarum omnium jugo, concludere, quod injuſtus Deus ſit, ſi illud humano generi ſine culpa per puræ naturæ creationem vel aliâ quâcunque ratione impoſuerit, ſed etiam ex ſingulis particularibus malis tam animi quam corporis invictiſſimè ſequi docet falſam eſſe puræ naturæ ſuppoſitionem, & injurioſam Deo, falſam inquam, & injurioſam Deo, non vi alicujus hypotheſis, quòd primi homines in gratia creati ſunt, vel vi creationis ad ſupernaturalem ſtatum elevati, ſed nudè ex eo duntaxat quod non ſolum non illud grave totius mortalitatis jugum, ſed nec ullum quidem ex illis omnibus ſingulare malum, quod ſive mors, ſive corporis corruptibilitas, ſive ingenij tarditas, ſive aliud quodcunq; miſeriæ genus, quod Pelagiani humanæ naturæ velut puræ tribuebant, innocenti creaturæ inferri poſſit ſine iniquitate Creatoris.

Mortem illam corporalem nemo ſanus dubitat eſſe grave creaturæ rationalis malum. Hoc Pelagiani ex natura ut brutis adhærere ſtatuebant. Negat Auguſtinus hoc poſſe fieri, vel certè injuſtum eſſe Deum, qui non pœnam aliquam formaliter ſed iſtud ipſum materiale malum, quod iſta hæreſis materialiter ex Creatoris inſtitutione derivabat innocentibus hominibus impoſuerit. *Si mors*, inquit, *non pertranſiſſet non omnes homines, quantum ad iſtam conditionem mortalium pertinet, morerentur &c. quia non erat iuſtum ſine crimine tranſire ſupplicium.* Et libro quarto ad Bonifacium: *Sed Pelagiani* (quidam ſcilicet) *quomodo dicunt ſolam mortem ad nos pertranſiſſe per Adam? Si enim propterea morimur quia ille mortuus eſt, ille autem mortuus eſt quia peccavit, pœnam dicunt tranſire ſine culpa; & innocentes parvulos iniuſto iudicio puniri trahendo mortem ſine meritis mortis.* Mortem verò eſſe pœnam eſſe ſupplicium, non ex eo probat, quia correlativum culpæ eſt, ſed ex eo quia malum eſt, quia illud exhorret creatura rationalis, ut inde conſtet culpam eſſe neceſſariam ut juſtè creatura morte crucietur. *Quoniam*, inquit, *mortem niſi æternam non vis eſſe pœnalem; ſi mors pœnalis non eſt, quæ a corpore animam ſeparat, cur eam timet natura, quam ſic laudas ut neges eſſe vitiatam? Quid cauſa eſt, ut infans ubi paululum ab infantia progredi cœperit, iam formidet occidi? Cur non ita ut in ſomnum ſenſus eſt proclivus in mortē? &c. Si ergo fruſtra mors timetur, ipſe timor eius eſt pœna: Si autem anima ſeparari à corpore naturaliter*

Lib. 2. oper. imperf. fol. 273.

Lib 4. ad Bonif. c. 4.

Lib. 2. oper. imperf fol. 398. & 399



non

*non vult ipſa mors pœna eſt, quamvis eam in uſum* A *bonum gratia divina convertat.*

Corruptibilitas corporis, dæmonum incurſus & vexatio corporalis, magnum utique malum eſt. Negat ea ulla juſtitia in creaturam rationalem ſervire poſſe, quicquid tandem Iulianus de ſtatu naturæ puræ fingeret: *Vos autem qui hoc negatis* (peccati contagium) *ea ſaltem quæ aperta ſunt intuemini, cur nonnulli etiam dæmonē patiantur infantes?* Et paulò poſt: *Tu autem quare ſit ſub diabolo ille ſaltem infans qui manifeſtiſſimè vexatur à diabolo, ita ut aliquando ipsâ vexatione moriatur, reſponde ſi potes.* Nempe juxta ſtatum puræ naturæ. Et alio in loco in libris operis imperfecti: *Quando parvulum ſpiritus vexat immundus, animamq́ eius & corpus affligit, ſenſus ſanitatemq́ pervertit, nonne univerſa eius quam Deus inſtituit natura turbatur? Nec invenitis omnino tanti huius mali meritum negantes originale peccatum.* Quaſi diceret, cùm tamen perſpicuum ſit, tantum malum ſine merito non poſſe contingere. Nam ideo ſtatim premit adverſarium ut culpam tanto malo dignam proferat: *Dic cauſam, parvuli dic vexatum, & cur recens nato iſta contingunt, qui non vis verba Apoſtolica ſic accipere, quemadmodum accepit, ex quo eſt inſtituta Catholica Eccleſia, & quemadmodum ſuis tam perſpicuis malis cōfitetur natura.* Ecce ipſa malorum evidentia quibus natura premitur, cogit hominem etiam puræ naturæ laudatorem confiteri, quod peccatum aliquod naturam vitiaverit, ut tantis malis poſſit affligi.

Lib. 3. cont. Iul. cap. 5.

Lib. 2. oper. imperf. fol. 290.

B

Monſtroſitas corporis profectò malum eſt, nec hoc infligi innocenti poteſt: *Malum ſi nullum ex origine traherent* (parvuli) *nunquam cum vitijs vel corporalibus naſcerentur. Deus enim qui eſt animorum, ipſe eſt etiam corporum conditor, qui utique humanæ in ipſa conditione naturæ vitia non infligit immerita.* Eadem omninò ratio eſt apud Auguſtinum de omnibus animi malis. Nam ſicut ea quoque Pelagiani, imprimiſque Iulianus ex puræ naturæ conditione proficiſci volebat, ita conſtanter docet Aug. hoc citra injuſtitiam nullo modo poſſe ſentiri.

Lib. 3. cont. Iul. cap. 6.

C

Ingenij obtuſio ac tarditas, magna profectò ſunt animæ rationalis mala: hæc negat poſſe Deum per ſtatum puræ naturæ concreare innocenti: *Falſa loqueris, nam neque ratio, neque ſana eruditio, neque iuſtitia, neque pietas, neque ſacra teſtimonia veſtro dogmati* de puræ naturæ malis *ſuffragantur. Imo hæc omnia ſicut hi qui rectè intelligunt iudicant, veſtrum dogma ſubvertunt. Ratio quippe cernit vix ad aliquid veri ſe poſſe pervenire tarditate impediente naturæ. Eruditio pœnam laboris habet in eadem tarditate naturæ. Iuſtitia clamat non ad ſe pertinere, ut Adam filij gravi iugo* miſeriarum, quas tu quaſi puræ naturæ tribuis *premantur à die exitus de ventre matris ſuæ, in virtute exerceri infantilis ætas non poteſt dici, ſi ſine ullo merito peccatorum pietas adverſus hoc malum divinum poſcit auxilium. Sacra teſtimonia ut hoc fiat humanum admonent animum.* Et alibi cùm perfectiſſimè in puræ naturæ ſtatu Iulianus parvulum collocaſſet, aſſerendo eum *ſine laude, ſine crimine voluntatis hoc ſolum habere quod à Deo conditore ſuſcepit*, reijcit ejus hypotheſim velut impoſſibilē ſine præcedēte peccati merito: *Quare ergo*, inquit, *grave iugum ſuper eum à die exitus de ventre matris eius? Cur tanta corruptibilitas corporis ut aggravaretur anima eius? Cur tanta mētis obtuſio ut etiā plagis erudiatur tarditas eius? Quouſq; Iuliane gravis es corde? Quouſque diligis vanitatem & quæris mendacium quo veſtra hæreſis fulciatur?* Vbi nec aggravationem animæ ex corporis coruptibilitate ſine peccati merito fieri poſſe docet, paulò poſt adhuc luculentius tradit: *Si aggravata ætas illa* (parvulorum) *iniquitatem iudicis convincit ut dicis; itane non eſt aggravata gravi iugo ſuper filios Adam? Et tamen non eſt hinc iniquus Deus, ac per hoc merito eſt aggravata.*

Lib. 2. oper. imperf. fol. 220.

Lib. 1. f. 61. & 62.

Ibidem.

D

Nihil enim apertius ex Auguſtini mente eſt, quam Dei iniquitatem ſecuturam eſſe, ſi ſine merito juxta Pelagianum dogma fuiſſet aggravata.

Fatuitas illa quaſi naturalis quæ in quibuſdam morionibus deridetur creaturæ rationalis malum eſt: Et ex hoc ipſo capite Pelagianum illud puræ naturæ commentum deſtruit, utpote quæ non poſſit animæ rationali ſine peccati iniquitate contingere: *Iam verò quis ferat, quod ad ipſum ſpectat animum imaginem Dei, innocentiæ, ſicut aſſeris, dote locupletem,* hoc eſt in puris naturalibus conſtitutam, *fatuam naſci, ſi nulla ex parentibus mala merita in parvulos tranſeunt? An ita eſt quiſquam veſtrum fatuus ut fatuitatem nullum malum putet, cùm Scriptura dicat, mortuum ſeptem diebus, fatuum verò omnibus diebus eſſe lugendum? Quis autem neſciat quos vulgo moriones vocant, natura ita fatuos ut quibuſdam eorum penè ſenſus pecorum conferatur, & non vultis fateri genus humanum ex initio quo deſeruit Deum trahere damnatæ originis noxam his omnibus digniſſimam pœnis.*

Lib. 3. cont. Iul. 4.

Hic perſpicuè vides ſimul omnia, & Iulianum profiteri naturæ puritatem, & Auguſtinum non contrarium ſupponere, non ex pœna ſub ratione pœnæ, ſed ex fatuitate ſub ratione fatuitatis, ſeu lugendi mali, puræ naturæ hypotheſim ſubvertere, utpote cùm iſtud malum imaginem Dei ſine peccati merito fœdare non poſſet; Vnde & libro quinto adverſus eundem Iulianum, etiam in illa ipſa hypotheſi puræ naturæ Pelagiana meritū poſtulat, ut juſtè homines cum tanta fatuitate naſcantur: *Sunt qui tanta cordis obtuſitate naſcuntur ut ſimiliores pecoribus quam hominibus eſſe videantur. Quorum tantæ fatuitatis, quæ in illis naturalis apparet non poteſtis ullum dicere meritum, qui nullum eſſe dicitis originale peccatum.* Et alibi Iuliano ſimiliter prædicante: *bonum inviolatæ inculpatæq́ naturæ*, quo parvuli velut in puræ naturæ ſtatu pollent, chimericum iſtum ſtatum ex illo malo fatuitatis expugnat: *Vt omittam natura fatuos multo amplius lugendos, Scripturâ teſte quam mortuos. Quos quidem & ab iſto tanto malo poteſt Dei gratia per ſanguinem mediatoris eruere. Sed unde potuerunt in tantum malum ruere ſi divino iudicio nulla origini debetur pœna vitiatæ.* Et de iiſdem ſtatim iterum: *Nec tamen eis ſub Deo iuſto, unde hoc accidere potuerit inventurus es, ſi nulla*

Lib. 5. c. 4.

Lib. 6. cont. Iul. cap. 4.

*æqualia expetentibus trahuntur merita filiorum.* Et cum Iulianus doctrinam ſuam qua iſta velut naturaliter naturæ puræ cohærentia accidere poſſe ſentiebat, ita perſpicuam certamque judicaret, ut Auguſtinum *in quadam meridie compertæ veritatis ſine obumbramento ignorationis inſanire* jactaret, omnes exitus ex laqueis iſtius argumenti toties repetiti claudit Auguſtinus, ut tandem animadverteret, ſine errore vel blaſphemia ei non poſſe per ſtatum puræ naturæ ſatisfieri: *Itane verò tanta in parvulis mala, tu qui non invides non vides? Bonus eſt Deus, iuſtus eſt Deus. Extranea prorſus mali eſt nulla natura, quæ noſtra naturæ ſecundum Manichæos credatur admixta. Vnde ſunt non dico in moribus* quia hoc propria iniquitate contingit, *ſed in ipſis ingenijs, cum quibus naſcuntur tanta hominum mala, ſi non eſt humana origo vitiata, ſi non eſt maſſa damnata?* Nonne perinde eſt ac ſi apertè diceret, tu qui ſtatum puræ naturæ in hominibus prædicas, nunquam poteris dare rationem cur cum tantis malis ex utero matris prodeant, niſi vel Dei bonitatem vel juſtitiam neges, vel hæreſin manichæide mali commixtione veram eſſe fatearis? Quod quidem argumentum ex fatuitate ductum & alijs tractat locis, ſed iſta ſatis fuerint, ut mentem ejus conſtantiſſimam hanc eſſe ſine ambiguitate teneamus, per ſtatum puræ naturæ juſtitiam Dei nullo modo poſſe defendi, eo quod nulla ratio dari poſſet cur fatuitas obtuſio ac tarditas, cur animæ ex corpore aggravatio, cur cæcitas, ſurditas, corporis corruptibilitas, atque monſtroſitas cur dæmonum vexatio, ipſaque mors, cur denique univerſum iſtud grave jugum quo ſtatus ille atteritur, imaginem Dei innocentem ſub tanta Dei poteſtate premant. Hæc enim omni voce altius clamant, ſicut ubique inculcat Auguſtinus, non eſſe juſtum Dei omnipotentis judicium ſi nullum eſt in creatura iſta patiente peccatum. Cujus proinde juſtitiæ & omnipotentiæ conſideratione generaliſſimè de omnibus omninò malis concludit profundiſſimus Doctor, *ſi nullum eſſet peccati contagium profecto nulli malo parvuli obſtricti, nihil mali vel in corpore vel in anima ſub* TANTA IVSTI DEI POTESTATE PATERENTVR.

Idem. — Ibid. — Lib. 3. c. Iul. c. 9.

## CAPVT XII.

### Deus miſerias puræ naturæ non permiſſive tantum inferret creaturæ rationali ſed poſitive. Et utrovis modo injuſtus.

NAM quod quidam hanc iniquitatem quæ ſecundum Auguſtinum ſequeretur, ſe probè à Deo arcere poſſe ſuſpicantur, ſi dicant hoc permiſſive tantum fieri, ſicut artifex ſinit rubiginem in ferro ex quo cultrum fabricat, nullas in hujus ſancti doctrina vires habet. Non enim ſolummodo Deum iſta mala juſtè inferre poſſe innocentibus negat, ſed etiam poſſe permittere. Nam inde eſt iſtud in quæſtionibus octoginta tribus: *Deus quovis homine optimo atque iuſtiſſimo longè atque incomparabiliter melior & iuſtior eſt. Iuſtus autem regens & gubernans univerſa, nullam pœnam cuiquam ſinit immerito infligi.* Inde illud in alia quæſtione: *Si propterea gravia perpeti iuſtos Deus ſineret, quia contra ordinem rerum à ſe diſpoſitum nollet venire, nec ipſe iuſtus eſſet, non quia diſpoſitionem ſuam ſervare non vult, ſed quia ita diſpoſuit ipſum ordinem rerum, ut immeritis pœnis iuſti affligantur.* Quid apertius, quàm non poſſe Deum talem rerum ordinem ſive puræ naturæ, ſive alium quemcumque inſtituere, ut immeritis pœnis aliquis affligatur? Inde & illud in Epiſtolis: *Demonſtrandum eſt utique quomodo iſta mala parvuli ſine ulla ſua mala cauſa iuſtè patiantur. Non enim dici fas eſt, aut iſta ignorante Deo fieri aut eum non poſſe reſiſtere facientibus, aut iniuſtè iſta vel facere vel* PERMITTERE. Inde illud contra Iulianum, cùm eum ex juſtitia Dei, ad abjiciendum puræ naturæ ſtatum vellet adigere; *In menſura & numero & pondere diſponens omnia Deus, neminem* SINIT *mali aliquid perpeti quod non meretur.* Inde denique eſt illud adverſus eundem Iulianum, cùm enim *blaſphemare* dixiſſet *martyrum Deum*, eo quod per puræ naturæ ſtatum parvulis tanta mala innocentibus irrogaret, rationem reddit, quia *ipſe eſt omnipotentiſſimus, qui grave iugum quo premuntur filij Adam ex die nativitatis ſuæ, procul dubio ab eis poſſet auferre, imò nec ullo modo illud imponeret* IMPONIVE PERMITTERET, *niſi peccata in eis cum quibus nati ſunt inveniret.* Ecce eâdem omninò juſtitiæ lege prohiberi Deum docet, ne iſta mala vel aliquid mali infligat immeritis, & ne infligi aut imponi, aut perpeti ſinat.

Lib. 83. q. 4. — q. 82. — Epiſt. 28. ad Hieron. — Lib. 1 oper. imp. ſ. 190. — Lib. 2. oper. imp. ſ. 52. & 53.

Enimverò ſi rem iſtam ſuis momentis attente trutinemus, immerito videtur dici quod Deus in puris quæ dicuntur materialibus hominem condens, prædicta corporis & animi mala non inferat, ſed permittat. Nam quamvis non ſit opus, ut iſta mala poſitivâ Dei operatione fiant, quia privationes dumtaxat ſunt, hoc ipſo tamen quo materiam nemine omnino ſive hominum ſive Angelorum aliquo voluntatis motu cauſam aut occaſionem aut anſam dante, talem ex multo melioribus ſuâ liberrimâ voluntate deligit, ex qua hujuſmodi mala naturali neceſſitate ſequi debent, quicquid inde naturaliter, nullo liberæ voluntatis actu intercedente ſequitur, hoc



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

A Deus non permittit, ſed facit, & ipſi tanquam hoc facienti imputari debet. Vnde exſertiſſimis verbis Auguſtinus tanquam de re clariſſima: *Quomodo non creatori deputandum eſt, quicquid in eius creatura fieri neceſſe eſt?* Talem quippe materiam ex pluribus ſeligendo vult opus inde fabricatum non ſolum poſſe deficere, ſed deficere. Quod in defectibus rerũ naturalium valde manifeſtũ eſt. Illi quippe non permiſſi in creaturis, ſed à Deo intenti ſunt, ut corporum orientium & morientiũ ſucceſſione, rerum corruptibilium univerſitas & pulchritudo perageretur. Non aliter autem intenti ſunt, niſi quia de induſtria materiam ex diverſis elementis inter ſe pugnantibus temperatam eligendo, cùm poſſet aliam, noluit eas permanendi firmitate ſubſiſtere, ſed certis legibus unâ alteri cedente tranſire. Quod Auguſtinus non uno loco perſpicuè docet. Nam quando dicit: *Illud in rebus facile animadverti poteſt, quod plerumque in nonnullos uſus explendæ indigentiæ ſuæ natura potentior inferiorem corrumpit; vel iuſtitiæ ordine dum vindicat culpam, vel ordine mutabilium rerum ſibi cedentium ſecundum leges congruentiſſimas pro valentia cuiuſque partis univerſitati datas*, ſatis apertè tradit, Deum non permiſiſſe, ſed de induſtria procuraſſe, ut certis & congruentiſſimis legibus in rebus ſublunaribus res ſibi mutuo deficiendo ſuccederent. Et quando dicit: *Omnia temporalia quæ in hoc rerum ordine ita locata ſunt, ut niſi deficiant non poſſint præteritis futura ſuccedere, ut tota temporum in ſuo genere pulchritudo peragatur, abſurdiſſimè dicitur non debere deficere. Quantum enim acceperunt, tantum agunt, & tantum reddunt ei cui debent quod ſunt in quantumcunque ſunt*: ſatis apertè tradit defectus corruptibilium rerum à Deo non permiſſos tantum, ſed deſtinatâ voluntate eſſe proviſos. Et quando dicit: *In iis igitur rebus, quæ ideò deficiunt, quia non ultra eſſe acceperunt, ut ſuis temporibus omnia peragantur, nemo defectum rectè vituperat, quia nemo poteſt dicere debuit permanere, cùm acceptas metas tranſire non poſſet*; nemo non videt Deum defectus rerum tranſeuntium certas metas earum durationi ſanciendo, quas tranſire non poſſent, non ſolum permiſiſſe, ſed ut certum finem aſſequerentur, etiam procuraſſe. Quis enim iſte ſit finis, diſertis verbis Auguſtinus explicat, ut quia non ſolum in ſtabili rerum incorruptibilium firmitate quædam pulchritudo cernitur, ſed etiam in ordinatiſſimo rerum corruptibilium tranſitu, per illos defectus rerum ſibi ſuccedentium oriretur quædam earum univerſitas, quæ ſimul eſſe & permanere non poterant, & ita ſimul ineffabilis quædam in illa mutabilium ſucceſſione pulchritudo cerneretur. Finis iſte præclariſſimus Deoque digniſſimus, quia ſine rerum defectibus, hoc eſt, ortu & occubitu aliiſque mutationibus haberi non poterat, illi à Deo non permiſſi, ſed quæſiti ſunt, eo animo quo defectus quæri ſolent. Nimirum quia res ita de induſtria temperavit, ut infirmior potentiori cederet, & ita totius univerſi quaſi cujuſdam numeroſæ cantionis paulatim tranſeuntis pulchritudo laudaretur. Quis enim ita à communi ſenſu alienus eſt, ut eum qui vel ſententiosè loqui aut canere concinnè velit, vocum ſibi cedentium ſucceſſionem atque defectus, & interpoſita congruentibus locis ſilentia, non intendere, ſed permittere tantum arbitretur? Cujus cantionis aut locutionis ſiquis unam particulam diligeret, nec eam vellet ceteris deficiendo locum dare, quibus decedentibus & ſuccedentibus totus ille ſermo contexitur, mirabilis dementiæ cenſeretur. Ex quo ſanè manifeſtum eſt hujuſmodi defectus naturalium rerum non permitti tantum, ſed etiam deligi, quia maximos in rerum univerſitate fructus afferunt. Alioquin enim dicere poſſemus etiam noctem quieti animalium tam neceſſariam, omneſque rerum ſublunarium mutationes quæ ſine defectibilitate atque defectibus peragi nequeunt, non certo Deum deſtinatoque conſilio inſtituiſſe, ſed permiſiſſe. Quamquam ſupervacua eſt iſta in rebus perſpicuis cavillatio: Nam ſive defectibilitates illas Deum permittere, ſive etiam procurare velis, nemo ſanæ mentis dubitare ſinitur ipſi Deo non creaturis mutabilibus defectus illos naturales eſſe voluntarios, eſſe tribuendos, eſſe imputandos. Nam ut Auguſtinus, *Abſurdiſſimè dicitur eas non debere deficere. Quantum enim acceperunt tantum agunt & tantum reddunt ei cui debent.* Cui autem debent, niſi ſic & non aliter inſtituenti Deo cum acceptas metas tranſire non poſſint? Quæ ſi & ſuapte luce, & Auguſtini atteſtatione perſpicua ſunt, fruſtra dicitur Deum inſtituentem pura naturalia, priuſquam ullus creatæ voluntatis motus anſam dederit defectus illos puræ naturæ ſeu mala iſta naturalia non inferre, ſed permittere. Ita quippe illa facit ſicut in brutis facit, & ita illi imputanda, ſicut defectibilitates brutorum imputantur. Nam ſicuti tota pulchritudo & univerſitas brutorum illa ſucceſſione tranſeuntium animalium ab initio ad mundi finem uſque proditur & ſpectatur, iſtoque ſcopo mutabiles ac defectibiles fecit, ita etiam in illo caſu corpus homini corruptibile deliberato propoſito temperaret, ut ab uno ordinatâ quâdam ſerie ſibi naſcendo ſuccedentes, pulchritudinem & univerſitatem generis ſui, ſicut carminis tranſeuntis, illâ ſucceſſione monſtrarent. Sed abſit ut ita Deus velit creaturarum ſuarum oſtentare pulchritudinem, ut ſuam vitiet, aut ita creando præbere bonitatem, ut amittat, immeritos affligendo, juſtitiam. Cùm enim & corpus eorum ipſe fecerit, ipſe elementa in corpore temperaverit, ipſe furioſos illos & contrarios appetitus inſeruerit, cui quæſo moleſtia & miſeria quæ inde naſcitur, imputari debet niſi ſic inſtituenti Deo? Vt enim optimè Auguſtinus: *Quomodo non creatori deputandum eſt, quicquid in eius creatura fieri neceſſe eſt.*

Quod ſi etiam Deus non faceret materiam

corporum

Lib. 3. de lib. arb. cap. 4.

Ibid. c. 24.

Cap. 15.

Ibidem.

Lib. 3. de lib. arb. c. 4.

corporum talem qualem cernimus, ex qua hominem conderet, ſed eam ut hæretici *materiarij* voluerunt, ſibi coæternam paratamque cum ſuis corporeis qualitatibus inveniret, unde mala noſtra naſcerentur, adhuc ea Deus non permitteret, ſed faceret. Cùm enim ſit omnipotens, eaſque qualitates materiæ malas mutare poſſet, nec tamen vellet, nulla culpa creaturæ quæ inde conditur provocante profecto non materiæ neque creaturæ, ſed conditori ejus defectus imputandi ſunt, & eorum autor haberi ac dici debet. Ipſe quippe talem eſſe voluit, qui cum eam mutare potuiſſet, nec aliter niſi per ipſum mutare poſſet, mutare noluit. Ita unanimi conſenſu cenſuerunt antiqui Patres, quoties refellendi erant hæretici, qui materiam quandam increatam velut miſeriarum noſtrarum autricem incuſarunt, ne Deus inde condens hominem, mala quoque feciſſe crederetur. Docuerunt enim eodem prorſus modo rerum cenſendum eſſe, ac ſi ipſa mala deſtinatâ voluntate feciſſet. Ita tradit Maximus Vir doctiſſimus, cujus lacinia Euſebianæ veſti intexta eſt: πῶς τοίνυν αὐτὴν τὰς τῶν φαύλων ποιότητας ὡς ἔχον καταλελοιπέναι λέγεις; πότερον δυνάμενον μὲν κἀκείνας ἀνελεῖν, οὐ βουληθέντα δέ, ἢ τὸ δύνασθαι μὴ ἔχοντα; εἰ μὲν γὰρ δυνάμενον λέξεις, οὐ βουληθέντα δὲ αὐτόν, αἴτιον τούτων εἰπεῖν ἀνάγκη, ὅτι δυνάμενος ποιῆσαι μὴ εἶναι κακὰ συνεχώρησεν αὐτὰ μένειν ὡς ἦν, καὶ μάλιστα ὅτε δημιουργεῖν τὴν ὕλην ἤρξατο. *An*, inquit, *quod illas qualitates materia, ut tollere ſimiliter ac delere potuiſſet, noluerit tamen? An potius quod id perficere nullo modo potuerit? Si potuiſſe concedis, negas voluiſſe; illarum cauſam in Deum conferas neceſſe eſt, qui cum eas innata malitia liberare poſſet, ſuam tamen iis conditionem relinquere maluerint, quo potiſſimùm tempore materiam elaborandam conformandamque ſuſciperet.* Quod uberius in eadem lucubratione declarat ac probat. Ita Tertulianus contra Hermogenem inſtanter & ſæpè: *Aut enim potuit emendare malum materiæ, aut noluit: aut voluit quidem, verum non potuit infirmus Deus: Si potuit & noluit, malus & ipſe, quia malo favit: & ſic jam habetur, ejus quod licet non inſtituerit, quia tamen ſi noluiſſet aſſed eſſe, non eſſet, ipſe jam fecit eſſe, quod noluit non eſſe. Quo quid eſt turpius? Si id voluit eſſe, quod ipſe noluit feciſſe, adverſus ſemet-ipſum egit, cùm & voluit eſſe quod noluit feciſſe, & noluit feciſſe, quod voluit eſſe. Quaſi bonum voluit eſſe, & quaſi malum noluit feciſſe. Quod non faciendo malum judicavit, id ſuſtinendo bonum pronuntiavit. Malum pro bono ſuſtinendo & non potius eradicando aſſertor ejus inventus eſt: malè ſi per voluntatem, turpiter ſi per neceſſitatem. Aut famulus erit mali Deus aut amicus, cum materiæ malo converſatus, nedum etiam de malo ejus operatus.* Et infra brevius: *Tam enim ſine cauſa laboras, ne malorum autor conſtituatur Deus: quia et ſi de materia fecit, ipſi deputabuntur, qui fecit, proinde quatenus fecit. Plane ſic intereſt unde fecerit, ac ſi de nihilo feciſſet.* Et quibuſdam interpoſitis: *Hæc ſi ita ſunt, neſcio qua poſſit evadere ſententia Hermogenis qui Deum, quoquo modo de materia malum condidit, ſive voluntate, ſive neceſſitate, ſive ratione, non putet mali autorem. Porro ſi mali autor eſt ipſe qui fecit planè ſocia materia per ſubſtantia ſuggeſtum, excludis iam cauſam materiæ introducendæ. Nihilominus & per materiam Deus autor mali oſtenditur, ſi ideo materia præſumpta eſt, ne mali autor videretur.* Ita Origenes contra errorem Valentini qui ex materia indolata quædam facta meliora quædam rudia relicta eſſe ſomniabat atque inde fieri mala: *Quærendum eſt utrum Deus, cùm poſſet mala reſtinguere, noluerit tamen, vel cùm poſſet, non habuerit? Etenim ſi facultatem adeſſe, deeſſe verò dixerimus voluntatem, eum neceſſe eſt machinatorem malorum appellare, quia cùm potuerit efficere ne mala eſſent, illa tamen manere, ut erant, permiſerit, maximè verò cùm ille materiam ſubigere & formare cœperit.* Quod pluribus exequitur. Ita denique Auguſtinus adverſus ſuas de materia malorum autrice cogitationes: *Unde eſt malum? Aut unde fecit ea? Materies aliqua mala erat & formavit atque ordinavit eam, ſed reliquit aliquid in illa quod in bonum non converteret? Cur & hoc? An impotens erat totam vertere & commutare, ut nihil mali remaneret, cùm ſit omnia potens? Poſtremo cur inde aliquid facere voluit, aut cur non potius eadem omnipotentia fecit, ut nulla eſſet omnino? Aut verò exſiſtere poterat contra ejus voluntatem?* &c. Apertè ſignificans quocunque ſe vertant iſti materiæ architecti, mala ex materia in Dei voluntatem infirmitatemve redundare. Quod ſi malorum Deus autor fuerit, ſi ea ex materia ab æterno præjacente fluere ſinit, quanto verior, directior & inexcuſabilior eorum autor fuerit, ſi materiam corporum talem ipſe excogitaverit, ipſe creaverit ipſe cum ſpiritu junxerit unde neceſſario tot concupiſcentiæ, tot ignorantiæ, tot dolores, tot mœrores, tot denique miſeriæ in corpus & animam naturæ rationalis erumperent?

Quod acutiſſimè viderunt Ethnici Philoſophi, qui primi Chriſtianos ex conditione materiæ mala proficiſci docuêre. Nam ne in eundem laqueum inciderent quem vitare ſatagebant, ut mala ex materia in Deum revolverent, utpote qui materiam ſolo nutu ſuo mutare potuiſſet, ſtatuerunt materiam illam fuiſſe immutabilem: Stoici enim apud Senecam dicebant à magno artifice formari prima, quia *id in quo exercetur ars inobſequens arti eſt.* Et ex ſuo ſenſu cauſam reddit cur Deus bonis viris *paupertatem vulnera & acerba funera* aſcribat, quia, *non poteſt artifex mutare materiam. Hæc paſſa eſt.* Nempe videbant, ſi materia nutui Dei ſubjacet, & ipſe talem, talium autricem miſeriarum, nemine cogente, nemine conſulente, nemine peccatis ſuis bonitatem ejus irritante, ſponte deligit, quicquid inde malorum naſcitur, voluntati ejus ſine ulla dubitatione eſſe tribuendum. Quod ut contra hæreticos urſerunt paulò ante Maximus, Tertulianus, Origenes, ita contra Philoſophos Arbonius: *Mala ergò, dicitis, unde hæc omnia? Ex elementis inquiunt, & ex*

eorum

Maximus apud Euſeb. …
Lib. contra Hermog. c. 10.
Cap. 14.
c. 16.
Dialog. 3 de ortu malorũ
Lib. 7. Confeſſ. c. 5.
1. q. natur. in proleg.
De Provid. c. 5.
Lib. 2. contra gentes.

*eorum inæqualitate ſapientes. Quod qui fieri poſſit, ut qui ſenſum & judicium non habent, malitioſa eſſe perhibeantur & noxia, aut non potius ille ſit malitioſus & noxius, qui res peſſimas & nocentiſſimas futuras, in alicujus operis aſſumpſit affectum, eorum eſt, qui aſſerunt pervidere.* Nimirum hoc ipſo creaturam ſuam inde fictam & fabricatam vult omnibus malis inde neceſſario pullulantibus eſſe ſubditam. Quod profecto ſi ſine creaturæ ſuæ culpa ulla facit, injuſtè facit. Iuſtitia quippe clamat, ut ſupra Auguſtinus, non ad ſe pertinere, ut creatura rationalis gravi jugo miſeriarum prematur à die exitus de ventre matris ſuæ, ſine ullo merito peccatorum. Et Auguſtinus altiſſimæ juſtitiæ luce radians iterum clamat quod Deus *in menſura & numero & pondere diſponens omnia neminem* non ſolum facit, ſed nec *ſinit mali aliquid perpeti quod non meretur.*

Ex iſto igitur incommutabili ordine juſtitiæ patet etiam radix alia iſtius doctrinæ quam ſupra libro primo latiſſime tradidimus quando diximus, non poſſe creaturam rationalem à Deo niſi cum caſta ipſius dilectione ſeu charitate produci.

Ratio enim eſt, quia impoſſibile eſt, ut eam Deus creet miſeram niſi iſtam miſeriam culpâ præcedente mereatur: nec minus impoſſibile, ut ſine Dei dilectione non ſit miſera. Hoc enim ex ipſa naturæ rationalis excellentia ſummaque ſub Deo dignitate fluit, cui beandæ nullum omninò bonum ſufficere poteſt, niſi ſolus Deus, & cui ſolâ dilectione cohæretur. Audi identidem inculcantem hanc veritatem Auguſtinum tanquam ſibi perſpectiſſimam: *Hoc adepto* creatura rationalis *beata eſt, quo amiſſo miſera eſt.* Quod ibi declarat eſſe Deum. Et mox iterum: *Quod bonum immutabile uſque adeo bonum eſt eorum, ut ſine illo miſera eſſe neceſſe ſit.* Nempe quia, ut ſtatim adjicit, *in tanta excellentia creata* eſt natura rationalis, *ut inhærendo incommutabili bono beatitudinem conſequatur, nec expleat indigentiam ſuam niſi utique beata ſit, eique explendæ non ſufficiat niſi Deus.* Et in libro de natura boni: *Tale quippe bonum eſt Deus, ut nemini eum deſerenti bene ſit.* Et in libro Confeſſionum: *Cui nullo modo ſufficit ad beatam vitam quicquid te minus eſt.* Et rurſum: *Hoc ſcio quia male mihi eſt præter te.* Et alibi: *Magna hominis miſeria eſt cum illo non eſſe videlicet per amorem, ſine quo non poteſt eſſe.* Vnde alicubi tradit, *tantam eſſe beatitudinem juſtitiæ*, hoc eſt Dei qui eſt juſtitia, *ut nemo ab ea niſi ad miſeriam poſſit abſcedere.* Ex cujus veritatis tam denſâ & ſolidâ Auguſtini conteſtatione liquidiſſimum eſt, creaturam rationalem ſi ſine Dei beatifici boni ſui dilectione condatur, hoc ipſo neceſſario miſeram condi; nempe quia propter non expletam naturalem indigentiam ſuam, inquietum erit cor ejus, & ita perturbatum diverſiſque raptatum cupiditatibus rerum inferiorum; quod ſine magna tantæ creaturæ miſeria fieri nequit. Quamquam & ipſa tam immenſi boni carentia ad quod poſſidendum natura ejus inſtituta eſt, non poteſt eſſe niſi magna miſeria. Si enim ſe miſeros eſſe putant qui oculis capti ſunt, aut auro argentoque ſpoliati, quis eum qui ipſo Deo conditore & ſolo beatifico bono ſuo caret, miſerum eſſe niſi miſerrimus neget? Cùm ergò miſeria debeat peccata ſequi non præcedere ne alioquin lex æterna, id eſt ipſa divina ratio qua juſtum eſt ut omnia ſint ordinatiſſima violetur; impoſſibile profectò erit, ut creatura rationalis ſine caſto Dei amore condatur.

Lib. 12. de Civit. c. 1.

Ibidem.

Lib. de nat. boni c. 7.

Lib. 13. Conf. c. 8.

Ibid.

Lib. 14. de Trinit. c. [illegible]

Lib. 3. de lib. arb. c. [illegible]

Aug. Confeſſ.

## CAPVT XIII.

### Deo per ſtatum puræ naturæ aſſcribitur crudelitas improbata in Manichæis & Pelagianis.

ET iſta quidem hactenus de læſa juſtitia Dei per puræ naturæ ſtatum præcipuè contra Pelagianos dicta ſunt, non diſſimile verò eſt argumentum præcedenti quo Manichæos abſurdiora delirantes expugnare ſolet. Illi namque malorum pœnalium quibus hic affligimur, originem indagantes, quamvis eam principio bono, hoc eſt, Deo vero, quem naturam boni vocitabant, aſſignare vererentur, & eam reducerent in gentem tenebrarum velut in naturam mali, ex alio tamen capite, in eandem recidebant ſententiam, quam declinaſſe videbantur. Dicebant enim naturam boni, hoc eſt Deum, cùm ſibi & lucidis regnis ſuis natura mali immineret, magnâ neceſſitate compulſum eſſe pugnare. Vt igitur temperaret gentem tenebrarum, miſiſſe animas bonas velut partes ſubſtantiæ ſuæ, quæ genti tenebrarum & corpori mixtæ, miſerias mortalitatis hujus in hac vita paterentur, donec per ſeparationem boni & mali, velut ex carcere liberatæ, revolarent in beatitudinem ſuam; quæ verò non fuiſſent liberatæ, in fine mundi æternis afficerentur pœnis. In hoc figmento quamvis multi errores lateant, ille tamen ad rem præſentem ſpectat, quo bonas animas, ſine culpa ad hujus vitæ miſerias, ſicut in ſtatu puræ naturæ fieri poſſe dicitur, miſſas eſſe decernerent; quarum nonnullæ itidem ſine culpa tandem in fine damnarentur. Contra iſtam ſententiam Auguſtinus paſſim ex pura ratione luctatur, tanquam crudelitatis & iniquitatis plenam, quod cùm Deus non poſſit ullam neceſſitatem pati, vel ulla ex parte violari atque corrumpi, ſine ullo merito malo animas

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

animas, hoc eſt, nos in tantas miſerias præcipitaſſet. Itaque in Diſputatione contra Fortunatum, *Si Deus nihil pati potuit à gente tenebrarum quia inviolabilis eſt, ſine cauſa huc nos miſit, ut nos hic ærumnas patiamur.* Et paulò poſt: *Si poterat ei noceri, non eſt inviolabilis. Si non poterat, crudeliter huc nos miſit, ut iſta patiamur.* Et inferius conqueritur anima per proſopopeiam, quod cùm gens tenebrarum temperari non poſſet niſi ſua corruptione: *Quomodo*, inquit, *non es crudelis qui me pati voluiſti pro tuis regnis, quibus nihil noceri poterat ab illa gente tenebrarum.* Et in 2. Diſputatione adverſus eundem Fortunatum, cùm ille Deum voluntariè huc animam miſiſſe dixiſſet, reſpondet Auguſtinus, *Cui noceri nihil poterat, crudelis voluntas fuit mittendi animam ad tantas miſerias. Quod refellendi cauſa, quia loquor, veniam peto ab illius miſericordia.* Et ſtatim ſæpius inſtanter urget, cur animas miſerit ille cui noceri non poterat ad tantas miſerias? Et quia exploratæ crudelitatis eſſet quæ nullo pacto excuſari poſſet, concludit Auguſtinus: *Et ego novi non te habere quid dicas, & me cùm vos audirem in hac quæſtione nunquam inveniſſe quod dicerem.* Et in libro vigeſimo contra Fauſtum: *Quid enim mali apud illum commiſeratis, ut in pœna iſta nunc ad eum gematis?* Et in libro vigeſimo primo, inſtat dilemmate: *Si invitas miſit animas iniuſtus, ut cogeret: ſi volentes ingratus, ut damnaret.* Et libro vigeſimo ſecundo exclamat, a *O immaniſſimam crudelitatem!* Et in Pſalmos: b *Si ergò talis Deus, crudelis quia ſine cauſa huc vos miſit cui nihil noceri poterat, quare vos miſit? Ecce gens tenebrarum illi nocere non poterat. Ipſe autem vobis graviter nocuit.* Et infra: *Si non timuit, gentem tenebrarum invidit: Si hoc timore non fecit, crudelitate fecit. Quam ergò iniquus eſt cui nihil noceri poterat & fecit, ut membris ſuis hic tantum noceretur.* Quid multis? Paſſim in libris ſuis crudelitatem illam exprobrat Manichæis, nec Deum excuſari ullo pacto docet, quod bonas animas ad hujus vitæ miſerias patiendas ſine ulla culpa deſtinaverit. Quod ſi rectè concluditur contra Manichæos, nullum dubium eſt quin idem rectiſſimè concluditur contra Scholaſticos, qui animas innocentes in puræ naturæ ſtatu ad eaſdem hujus vitæ miſerias mitti poſſe contendunt. Neque enim Auguſtinus Manichæos illius impietatis arguit vi alicujus hypotheſis, quod natura humana vel integra, vel in gratia, vel in ſtatu ſupernaturali inſtituta fuerit, quod & nihil ad rem, & adverſus tales adverſarios riſu potius quam refutatione dignũ, utpote quod principium peteret, & id ſupponeret quod in quæſtione vertebatur, ſed nude ex eo quod ex ipſis terminis nimiam crudelitatem, vel etiam injuſtitiam ſpiret, innocentem animam nulli peccato obnoxiam, immeritò ad tantas miſerias, quantas præſens naturæ lapſæ & conſequenter commentitius puræ naturæ ſtatus implicat, condemnare.

Diſp. cont. Fortunat.

2. Diſp. adverſ. Fortunat.

Ibid.

Lib. 20. contr. Fauſt. cap. 17.

Lib. 21. c. 1.

a Lib. 22. cont. Fauſt. c. 22. b Pſal. 140.

A

Hæc ergò cauſa eſt, cur Honorius ac Theodoſius Imperatores in edicto quo proſcripſerunt Pelagianos ſimilis crudelitatis reum ab eis fieri Deum conquerantur; quod hominem à Deo ſine ulla culpa ſua in mortem corporis ceteraſq; miſerias, vi videlicet ſtatus illius puræ naturæ, præcipitatum eſſe decernerent. accipe verba eorum præclariſſima adverſus crudelitatem autoris purorum naturalium intonantia: *Hi* (Pelagius Celeſtiuſque) *parenti cunctarum rerum Deo, præcipuaque ſemper maieſtati, & ter omnipotenti ultra omne principium tranſeunti, tam trucem inclementiam ſævæ voluntatis aſſignant, ut cùm formandi mundi opificem curam ſumeret, qualitatemque hominis ſtruendi profundâ ſpiritus conceptione libraret, fundati muneris fidei anteferret exordium, & mortem præmitteret naſcituro, non hanc inſidijs veriti fluxiſſe peccati, ſed exegiſſe penitus legem immutabilis conſtituti.* Quibus verbis perſpicuè ſtatum puræ naturæ velut à Deo juxta ſenſum Pelagianorum ſtatim in initio mundi conditum veluti digito notant, & inclementis crudelitatis exhorrent. Nam ille tunc paſſim Chriſtianorum ſenſus de illo ſtatu erat, quem partim indito naturaliter lumine rationis, partim ex Auguſtini doctrina tunc ubique Eccleſiarum celeberrimâ perceperant. Ex quo factum eſt, ut ejuſdem crudelitatis injuſtitiam, poſtmodum Pelagianis Arauſicana Synodus exprobraverit ac damnaverit, dum decernit quod *Siquis mortem tantum corporis non autem & peccatum per unum hominem in omne genus humanum tranſiſſe teſtatur, iniuſtitiam Deo dabit.* Nimirum quia infliget miſeriam ſine peccato, pœnam ſine culpa: quod in antiquorum doctrina Catholicorum injuſtum eſt, & unà cum puræ naturæ ſtatu, quem ibi Synodus Arauſicana reſpicit, Eccleſiaſtica & Catholica autoritate damnatum. Nam tanquam certiſſimum tenuerunt, id quod Auguſtinus adverſus Pelagianos purorum naturalium architectos præformavit, & à nobis ſæpe repetendum eſt, quod Deus juſtus *in menſura, & numero, & pondere diſponens omnia, neminem ſinat mali aliquid perpeti quod non mereatur.* Et illud robuſtiſſimum & læthale eidem errori telum intorſit: Quod *neque ſub Deo iuſto miſer eſſe quiſquam niſi mereatur, poſſit.* Quo unico vulnere à divina juſtitia inflicto hereſis Pelagiana & Manichæa, puræque naturæ ſtatus radicatus ſucciſa moriuntur.

In reſcripto Imper. Honor. & Theod. ad Palat. Præfect. Prætor. apud Baron. anno 418.

B

Conc. Arauſ. Can. 2.

C

Lib. 2. oper. imperf. fol. 290.

Lib. 1. f. 33.

CAPVT

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

# CAPVT XIV.

## Catholici, Pagani, Hæretici tam Pelagiani quàm Manichæi, Marcionitæ, Materarij &c. viderunt non poſſe ſine injuſtitia tribui Deo miſerias creaturæ innocentis. Hinc in diverſos errores itum, ne Deum læderent.

HÆc enim divina juſtitia in adminiſtrandis pœnis atque miſerijs naturæ rationalis, tam eſt manifeſta, tam plana, tam profundè naturali judicio humanæ mentis inſculpta, ut omne hominum genus, non modo fidelium, qui Scripturis ſacris divinæque beneficio revelationis imbuti ſunt, ſed etiam eorum qui à divinis traditionibus remotiſſimi fuerunt, ex malis atque miſerijs creaturæ rationalis peccatum neceſſario præcedere debuiſſe, & quærendum eſſe vel in hac vel in alia vita conjecerint. Vidit hoc & urſit velut invictum argumentum ſæpius Auguſtinus, non adverſus hæreticos tantùm, ut jam ſæpè vidimus, qui ſtatum puræ naturæ ſine culpa præcedente introducere voluerunt, & omnem hypotheſim contrariæ revelationis vel conditionis in gratia, vel elevationis ad ſupernaturalem ſtatum reſpuebant, ſed etiam adverſus Paganos, ut eos ſola naturalis rationis luce convinceret. Nam inde eſt quod in libris de Civitate Dei qui ad redarguendos homines fidei expertes ſcripti ſunt, ex ſolis pœnis atque miſerijs velut per ſe manifeſtum colligat, humanam vitam pro peccato aliquo eſſe damnatam. Nam hanc argumenti ſui vim ipſe ſæpè de-
Lib. 22. de Civit. c. 22. clarat. *Quod ad primam originem pertinet, omnium mortalium progeniem fuiſſe damnatam, hæc ipſa vita ſi vita dicenda eſt, tot & tantis malis plena teſtatur.* Quorum cùm luculentum catalo-
Cap. 23. gum texuiſſet, concludit ut inceperat, *Quam vitam tot tantorumque teſtimonio malorum probavimus eſſe damnatam.* Et radices tangens efficaciæ talis probationis, non fidem profert, non gratiam, non elevationem ſupernaturalem aut aliquid hujuſmodi, quod Paganis inauditum eſt, & nihil ſpectat ad propoſitum, ſed nude juſtitiam Dei omnia ſcientis & potentis & adminiſtrantis creaturam rationa-
Cap. 24. lem: *Hujus tantæ naturæ*, inquit, *conditor cùm ſit utique Deus verus & ſummus, ipſo cuncta quæ fecit adminiſtrante & ſummam poteſtatem ſummamque habente juſtitiam, nunquam profectò in has miſerias decidiſſet niſi nimis grande peccatum in homine primo de quo ceteri exorti ſunt, præceſſiſſet.* Quæ ſi rectè cõcludit apud homines infideles & incredulos ratiocinatio, profectò perſpicuum eſt miſerias creaturæ rationali infligi ſub tanta Dei juſtitia & poteſtate ſine iniquitate non poſſe.

Vidit hoc, urſit, atq; teſtata eſt ipſa quoq; Paganorũ Philoſophia. Cùm enim cerneret tan-
A ta quibus cruciamur præſentis vitæ mala, ipſi ſuccumbens rerum evidentiæ, fieri non poſſe judicavit, ut ea ſine peccato rationalis natura pateretur. Itaq; ſuperioris vitæ facinora cauſam eſſe dixit cur eo ſupplicio plecteremur. *Hujus evidentiæ miſeriæ*, inquit Aug. *gentium Philoſophos nihil de peccato primi hominis ſive ſcientes ſive credentes, compulit dicere, ob aliqua ſcelera ſuſcepta in vita ſuperiore, pœnarum luendarum causâ nos eſſe natos, & animos noſtros corruptibilibus corporibus eo ſupplicio quo Hetruſci prædones captos affligere conſueverant, tanquam vivos cum mortuis eſſe conjunctos.* Quam opinionem de ſuperioris vitæ ſceleribus ex miſeriarum evidentia, Tullius veram cenſuit, & antiquioribus idem ſentientibus ſe conſentire profitetur in Hortenſio, cujus præclarum fragmentum Auguſtini monumentis conſervatum eſt, & contra ſtatum puræ naturæ quem Pelagiani finxerant,
B uſurpatum. Cùm enim Auguſtinus vellet vanitatem puræ naturæ à Iuliano venditatam puræ naturalis rationis luce convellere, præfatuſque eſſet, *Philoſophos utpote litterarum divinarum & Catholicæ veritatis expertes, nihil de primo homine & ejus conjuge, de prima eorum prævaricatione, de ſerpentis aſtutia, de nuditate corporis ante peccatum ſine confuſione, & cum confuſione continuò eſt peccatum*, de peccato denique *quod in mundum intravit, & per peccatum mors* nihil omninò ſapere potuiſſe, mox oſtendit eos inanitatem commenti puræ naturæ quod Iulianus fabricaverat, ex ſola magnitudine miſeriarum quæ ſine culpa irrogarentur injuſtè reprobaſſe, eorumq; cauſam ſcelera aliqua ſuperioris vitæ quæſiviſſe. Locus digniſſimus eſt, ut hic totus inſeratur: *Videntur autem,* inquit Auguſtinus, *non fruſtra Chriſtianæ fidei propinquaſſe* (Philoſophi) *qui vitam iſtam fallaciæ miſeriæque pleniſſimam non opinati ſunt, niſi divino judicio contigiſſe, tribuentes utique juſti-*
C *tiam conditori à quo factus eſt, & adminiſtratur hic mundus. Quanto ergò te melius, veritatique vicinius de hominum generatione ſenſerunt, quos Cicero in extremis partibus Hortenſij Dialogi velut ipſa rerum evidentia ductus compulſuſque commemorat? Nam cùm multa quæ videmus & gemimus, de hominum vanitate atque infelicitate dixiſſet; ex quibus humanæ, inquit, vitæ erroribus & ærumnis fit, ut interdum veteres illi ſive vates, ſive in ſacris initiiſque tradendis divinæ mentis interpretes, qui nos ob aliqua ſcelera ſuſcepta in vita ſuperiore pœnarum luendarum cauſa natos eſſe dixerunt, aliquid vidiſſe videantur verumque ſit illud quod*

*quod eſt apud Ariſtotelem ſimili nos affectos eſſe ſupplicio; atque eos qui quondam, quum in prædonum Hetruſcorum manus incidiſſent crudelitate excogitatâ necabantur, quorum corpora viva cum mortuis adverſa adverſis accommodata quam aptiſſime colligabantur; ſic noſtros animos cum corporibus copulatos, ut vivos cum mortuis eſſe conjunctos*: Ita Tullius. Quibus optimè ſubjungit Auguſtinus perſtringendo Iulianum, qui cunctas miſerias illas Deo tanquam purorum naturalium autori tribuebat: *Nonne qui iſta ſenſerunt multò quam tu melius grave iugum ſuper filios Adam, & Dei potentiam iuſtitiamque viderunt, etiamſi gratiam quæ per mediatorem liberandis hominibus conceſſa eſt, non viderunt?* Ecce Pagani Philoſophi ſine ulla fide gratiæ vel inſtitutionis primi hominis in paradiſo in naturæ integritate, in ſtatu ſupernaturali & hujuſmodi, quæ obſcurandæ veritati prætexuntur, ſolo lumine rationis judicarunt fieri nullo modo poſſe, ut ſalvâ juſtitiâ Dei, poſſet innocentibus tantarum ærumnarum pondus imponi. Nam hinc eſt illud quoque quod ſubinde quaſi parcere volentes juſtitię Dei, culpam tot malorum in naturam quaſi à regulis ſuis aberrantem torſerint. Tullius libro tertio de Republica querebatur: *Hominem non ut à matre, ſed ut a noverca natura editum in vitam, corpore & nudo, & fragili, & infirmo, animo autem anxio ad moleſtias, humili ad timores, molli ad labores, prono ad libidines.* Nimirum ut optime in hæc verba ſanctus Auguſtinus: *Rem vidit cauſam neſcivit*. Rem vidit, quia ex tot miſerijs perverſum diſtortumque præter rationis leges, humanæ naturæ ſtatum vidit: cauſam neſcivit, *latebat eum cur eſſet grave iugum ſuper filios Adam, quia ſacris litteris non eruditus ignorabat originale peccatum.*

Ibid. — Lib. 4. cont. Iul. cap. 12. — Ibid.

Hæc cauſa fuit, cur alij Philoſophi cùm à peccatis vitæ ſuperioris aut à natura culpanda abhorrerent, malorum cauſam in materiam tranſtulerint. Vt Maximus ille Tyrius cum aliud artem ex profeſſo facere, aliud ex materiæ affectu conſequi dixiſſet, οὕτως ἀμέλει, inquit, καὶ ὅσα περὶ γῆν πάθη γίνεται, ἃς καλοῦμεν κακῶν ἀνθρωπίνων ἐμβολάς, ἐνταῦθα ἡγητέον καὶ ἀναίτιον καὶ τὴν τέχνην, εἶναι δὲ ταῦτα τῆς τοῦ ὅλου δημιουργίας ὥσπερ τίνας ἑπομένας καὶ ἀναγκείας φύσεις: *Talia nimirum in his quæ circa terram eveniunt, quæque incurſus humanorum malorum vocamus. In quibus innoxiam & inculpatam artem cenſendum: ſed eſſe hæc fabricæ totius univerſi velut neceſſarias quaſdam, & conſequentes naturas*. Et Triſmegiſtus: αὐτῷ τῷ ποιοῦντι οὐδὲν κακὸν οὐδὲ αἰσχρὸν νομιζόμενον ταῦτα γάρ ἐστι τὰ πάθη τὰ τῇ γενέσει προσεπόμενα, ὥσπερ ἰὸς τῷ χαλκῷ, καὶ ὁ ῥύπος τῷ σώματι, *Ipſi facienti Deo nullum malum aut turpe aſſignandum. Nam hæ ſunt affectiones generationis affectæ, ſicut ærugo æris, ſordes corporis.* Quæ omnium Stoicorum ſententia teſtibus Tertulliano & Seneca fuit, quorum vox erat, quod *à magno artifice formentur prava, non quia ceſſet ars, ſed quia id in quo exercetur, inobſequens arti eſt.* Alij maleficam animam culpaverunt, ut Plato cum ſuis, quando dicit ψυχὴν ἄτακτον καὶ κακοποιὸν, *animam incompoſitam & maleficam*, hoc eſt mali autorem. Itemque ἐναντίαν καὶ ἀντίπαλον τῇ αὐτουργῷ φύσει, *contrariam & rebellem beneficæ naturæ*, hoc eſt Deo. Alij dæmonem accuſaverunt. Vnde illud Pytagoræ apud Euſebium τῶν ἀρχῶν τὴν μὲν μονάδα θεὸν καὶ τὸ ἀγαθόν: τὴν δὲ ἀόριστον δυάδα καὶ δαίμονα καὶ τὸ κακὸν περὶ ἣν ἐστὶ τὸ ὑλικὸν πλῆθος. *Principiorum alterum eſſe unionem, id eſt Deum & bonum: alterum infinitum unionem, id eſt dæmonem & malum, circa quem materialis multitudo eſt*. Quæ ſententia & Auguſtino noſtro placuit, cùm malum Duadi, bonum Monadi aſcriberet, ut ante ſuſceptam Catholicam Religionem libros de pulchro & apto condens, malum à bono Deo ſola Philoſophia duce removeret.

Dion. 15. — Triſmegiſt. cap. 14. — Lib. contra Hermog. 14. ... in prolog. — Lib. 14. de præpar. apud Euſeb. — Lib. 4. Confeſſ. cap. 15.

Sed quid Philoſophos memorem? Ipſi quoque hæretici qui malorum cauſam ſcrutati ſunt tanquam immobile principium ſuppoſuerunt, fieri non poſſe ut juſtus & omnipotens & bonus Deus, tot miſerijs quot ſtatus puræ naturæ comprehendit, innocentes homines nullo delicto provocatus plecteret. Nam ex hujus fidei firmitate factum eſt ut ſibi ſatius putarent in quoſlibet alios errores mali cauſam indagando labi, quam Dei juſtitiam aut bonitatem, excogitata tali naturæ puritate vel malorum in eam innoxiam immiſſione violare. Hæc enim cauſa fuit cur Cerdon, Marcion, & ſimiles peſtes cùm non crederent primum hominem aut liberum arbitrium malorum omnium quibus mundus plenus eſt, cauſam eſſe, Deumque verum juſtum & bonum eſſe dubitare non poſſent, maluerint alium comminiſci perverſum Deum qui mundum & miſerias ejus ſuâ voluntate condidiſſet quam tantum nefas aſcribere vero & bono Deo.

Vidend. Iren. lib. 1. c. 21. Tertul. in præſc. & cōt. Marcion. Orig. in dialog. de ortu mali.

Hæc eadem cauſa fuit cur idem ille [a] Marcion & [b] Hermogenes & ille contra quem diſputat Maximus Profeſſor Chriſtianæ religionis apud [c] Euſebium: & omnes quos *Materiarios* hæreticos [d] Tertullianus vocat, materiam ex philoſophia Stoica Deo addiderint ex qua mundum conderet ἵνα τῶν κακῶν ὁ μὲν θεὸς ἀναίτιος ᾖ τούτων δὲ ἁπάντων ἡ ὕλη αἰτία. Omnibus etiam præcedentibus atteſtatur Iulianus: *Ideo aut alium Deum bonum & optimum volunt credi, quia mali autorem exiſtiment creatorē: aut materiam cum creatore præponunt, ut malum à materia, non à creatore deducant.* Hæc itidem cauſa fuit cur Manichæi duas ſubſtantias effinxerint, ut quia non audebat anima eorum, ut eis diſpliceret Deus ſuus, nolebant eſſe Dei, quicquid ei diſplicebat, hoc eſt, quicquid malum eſſe ſentiebant. Nimis enim abſurdum & impium omnibus iſtis videbatur, ut Deus verus omnipotens & juſtus,

a Tertul. lib. 1 cont. Marcion. c. 15.
b Idem cont. Hermog.
c Lib. 7. de præpar. c. 22 alias 4.
d Cont. Hermog.
Verba Maximi.
Tertul. cont. Hermog. cap. 10.
Vide lib. 6. cont. Iul. cap. 21. & 7. confeſſ. c. 14. & maxime lib. 2. oper. imperf. f. 459.

juſtus, & bonus creaturam ſuam cum tot miſeriis nullo peccato ejus provocatus inſtitueret.

Hæc cauſa fuit, cur ipſi quoque Pelagiani, quantumvis miſerias tantas velut per puræ naturæ creationem aſcriberent Deo, cùm tamen ſobrij juſtitiæ divinæ puritatem attenderent, ipſa victi veritatis evidentia clamarent: *Subvenire non merentibus poteſt & ſolet Deus cum laude clementiæ, punire autem, id eſt affligere non peccantes non poteſt, ſine everſione juſtitiæ.* Et alibi: *Ætas illa* (parvulorum) *iniquitatem iudicis, infamiam juſtitiæ aut accuſat, aut aggravata convincit*, cui propterea Auguſtinus: *Ergo merito eſt aggravata. Agnoſce iudicem Deum. Sentis quam iniquum ſit ſine crimine tranſire ſupplicium.* Quam proinde contradictionem & abſurditatem ut fugerent, velut maris fremitum vocis contentione ſuperaturi, *neſcio qua fronte*, ut Auguſtinus de Stoicis loquitur, mala iſta quibus atterimur, etiam mala eſſe negaverunt: parvulóſque etiam felices eſſe dixerunt. Clamante viciſſim Auguſtino: *O dementiam ſingularem! Hoc diſputare eſt an inſanire? Cum miſeria ſe natos eſſe parvuli flendo teſtantur, & felices eos dices?* Nempe in abſurdiſſimum errorem ipſumque communem ſenſum impingere maluerunt, quam creaturam rationalem etiam in puræ naturæ ſtatu, quem effinxerant, ulla miſeria aut afflictione ſine culpa à Deo juſto poſſe cruciari.

*Lib. 2. oper. imper. f. 344.* — *Lib. 1. f. 52.* — *Fol. 344.* — *Fol. 275.* — *Lib. 19. de Civit. c. 4.* — *Lib. 2. oper. imper. f. 323.*

Hæc denique cauſa fuit, cur ſemper apud omnes gentes maxime labis originalis neſcias, inexplicabilis quæſtio viſa fuerit, cur viri boni in hac vita tot crucientur malis, prout & ex Philoſophorum & Prophetarum atteſtatione manifeſtum eſt. Vnde quæſo hæc omnia niſi quia tantus horror omnes ceperat, ne divinæ bonitati labem illam aſcriberent, aut eam, ut Auguſtinus audet ac loquitur, *blaſphemarent*, ſi ſine culpa creaturæ (quam vel contigiſſe neſciebant aut non credebant, aut non attendebant) Deus tantarum ærumnarum autor eſſe crederetur. Hoc enim ſi fieri poteſt per puræ naturæ ſtatum, ut recentiores docent, nulla omnino cauſa fuit cur iſta quæſtio vel Auguſtinum tantâ tot annis ante converſionem perplexitate maceraverit, vel hæreticos vel Catholicos, vel paganos, vel ullum ſanæ mentis hominem fatigaverit. Quis enim tanto ſtupore merſus fuit, ut qui Deum credat, non eum etiam vitæ & mortis autorem, non abſolutum Dominum agnoſcat; quæ nunc velut abſcondita palliandæ iniquitati ejus myſteria proferuntur? Sed nimirum, profundiſſime viſceribus hominum etiam impiorum inſculpſit Deus, quod *optime de Deo exiſtimare ſit veriſſimum pietatis exordium.* Nec optime de Deo quiſquam exiſtimat, qui non eum quanto omnipotentiorem atque meliorem credit, tanto etiam in adminiſtranda vita creaturæ rationalis eſſe juſtiorem. *Virtus enim* græcè ἰσχὺς, id eſt poteſtas *tua*, ut præclare Spiritus ſanctus per os ſapientis, *juſtitiæ initium eſt.*

*Lib. 1. de [illegible] c. 1.* — *Sap. 12.* — *Lib. 1. oper. imper. f. 52.*

Ex quo fit ut hæc poſtremo cauſa fuerit cur alij fide deſtituti & commiſſæ à primis parentibus iniquitatis ignari, cùm nullam idoneam malorum cauſam invenire poſſint, & tamen ſine cauſa rationalem affligi creaturam apertiſſimè injuſtum eſſe cernerent, difficultate victi, palam ipſum numen, cujus illa nutu acciderent, injuſtitiæ culpaverunt. Vnde Tragicus τολμῶ κατειπεῖν μή ποτ' οὐκ εἰσὶ θεοί: κακοὶ γὰρ εὐτυχοῦντες ἐκπλήττουσί με. *Audeo profari ſuntne vel regnant Dij? Nanque improborum me attonat felicitas.* Et alia de ſepulchro clamabat: *Procope manus levo contra Deum, qui me innocentem cito ſuſtulit.* Vt incredibilis profectò me ſubeat admiratio, qui fieri potuerit, ut quod & Catholici & hæretici perverſiſſimi & Pagani, & omnium pęne hominum genus, quod numen aliquod rebus univerſi adminiſtrandis præeſſe credidit, velut injuſtiſſimum ſemper abhorruit, hoc recentiores nullâ ſcientiâ, nullâ traditione, nullâ Patrum autoritate fulti, ſolâ ratiocinandi fiduciâ armati, ſine ſcrupulo amplexi ſint, quaſi palmam de recondita ſubtilitate relaturi. Et qua tandem obſecro ſubtilitate? Quod Deus ſit abſolutus omnium Dominus, quod vitæ & mortis poteſtatem habet. Quaſi quiſquam qui crediderit eſſe Deum univerſi autorem, eum eſſe omnium Dominum, vitæ & mortis autorem ignoraverit. Tantas videlicet vires habet illa peripatetica; cui à multis annis innutriti ſumus Philoſophia. Quæ cùm humani lapſus ignara fuerit, & graviſſimum ærumnarum noſtrarum jugum puram naturam eſſe crediderit, & admodum jejune de Deo ejuſque juſtitia diſputaverit, ſectatores hujuſce hallucinationis hæredes fecit. Difficile eſt enim opiniones Philoſophorum quibus imbuti ſemel fuimus, exuere atque damnare ipſa ſentiendi conſuetudine probabilitatem afferente veritatis, & ratione ſatagente, ne temere tanti viri & nos cum ipſis aberraſſe videamur.

*Epitaph. [illegible]*

CAPVT

# CAPVT XV.

## Eodem argumento palpabilium malorum, ſi puræ naturæ ſint, cogimur ad diverſas impietates, ad blaſphemiam in Deum, ad Manichæiſmum; Cur, & quomodo. Epilogus omnium argumentorum.

SATIS arbitror, hactenus ex Auguſtino declaravimus, non potuiſſe jugum tot miſeriarum hominibus innocentibus imponi, ſine manifeſta injuſtitia Dei. Vt tamen vis iſtius argumenti ſexcenties ab Auguſtino repetiti penitius intelligatur, obſervandum eſt, id quod ſupra indicavimus, in eo ſupponi tanquam certum, Deum nec eſſe infirmum nec ignarum; rurſum in homine non eſſe commixtionem naturæ mali ut Manichæi voluere. Nam quodlibet iſtorum verum eſſe poneretur, non eſſet neceſſe eſſe injuſtum Deum. Si enim natura hominum naturaliter eſſet mala; ut Manichæi ſentiunt, vel Deus præ inſcientia vel infirmitate malorum incurſum non impediret, nihil vetaret innocentes tot miſerijs ſine ulla Dei iniquitate cruciari. Hinc eſt igitur quod prout varia in iſto argumento ex miſerijs contexto aliquando velut certa ſupponuntur, ita etiam ad varias abſurditates concludendas ab Auguſtino adhibetur & valet. Nam ſubinde cùm velut certum apud Pelagianos ſupponit, naturam hominum non eſſe naturaliter malam, ſed illam opinionem eſſe deteſtabilem Manichæorum inſaniam, itemque Deum non eſſe invalidum, tunc determinatè Dei injuſtitiam ex miſerijs puræ naturæ Pelagianis laudatæ conficere ſolet. Cujus plurima ſuperius exempla dedimus. Subinde vero ſupponendo naturam non eſſe malam, alterutrum infert aut invalidum aut injuſtum eſſe Deum, qui tantis malis innoxios premit. Exemplis etiam iſtam partem declaravimus, quando oſtendimus per puram naturam Dei providentiam graviter lædi. Subinde è contrario ſupponendo Pelagianos credere omnipotentem & juſtum Deum nulliuſque peccati merito velut jure puræ naturæ tot tantiſque malis genus humanum premi, concludit nullo modo hoc defendi poſſe niſi in Manichæorum ſententiam, de malæ naturæ commixtione incidatur. Quam ſi abhorruerint, ſicut omnis Chriſtianus abhorrere debet, nullam ſupereſſe viam qua irrumpere potuerint tanta mala, niſi originale peccatum. Quod quia peremptorium contra puram naturam eſt argumentum, & Auguſtini ſententiam de hypotheſi illa Pelagiana quam impugnabat, liquidiſſimè ob oculos ponit, operæ pretium eſt hic ipſiſſimis ejus verbis luculentiſſimis quamvis prolixioribus texere. Cùm igitur adverſus Iulianum ſcribens præmiſiſſet ac promiſiſſet ſe oſtendere velle, quod *tam*, inquit, *ſæpe monſtravi, quantum hæreſis* Pelagiana, quæ ſine peccato mala iſta contigiſſe tradebat, *Manichæos adjuvaret* delirantes ea ex mala natura proficiſci, hoc eſt, quod hæreſis Pelagiana ad hæreſim nos Manichæam cogeret, rem ſic exequitur: *Enumerant*, inquit, *Manichæi mala quæ in parvulis monſtrant, quæ Cicero quoque commemorat in libris de Republica; unde ipſa eius verba tranſtuliſti. In quorum malorum commemoratione dicit: Non ut à matre natura, ſed ut à noverca hominem in has ærumnas eſſe proiectum. Huc accedunt etiam illa quæ non quidem omnes parvulos, ſed tamen plurimos cernimus perpeti multa & varia mala, uſque ad dæmonum incurſus, atque concludunt dicentes, Cùm ſit iuſtus & omnipotens Deus, unde iſta mala patitur imago eius in parvulis, niſi quia vera eſt, inquiunt, quam nos aſſerimus duarum naturarum boni ſcilicet malique commixtio? Hos Catholica redarguit veritas confitens originale peccatum per quod factum eſt dæmonum ludibrium & laborioſæ miſeriæ deſtinata propago mortalium.* Ecce quomodo Manichæi facile peccati originalis confeſſione jugulentur. Sed jam attende anguſtias eorum qui iſtas miſerias ſublato peccato puris naturalibus attribuere volunt: *Vos autem negantes originale peccatum, profectò aut cogemini dicere Deum vel invalidum vel iniuſtum, ſub cuius poteſtate imago eius in parvulis ſine ullo vel proprij vel originalis peccati merito tantis affligitur malis. Non enim per hæc exercetur virtus, quod rectè de bonis hominibus maioribus dicitur, in quibus rationis eſt uſus.* Ecce coguntur autores puræ naturæ confiteri injuſtum aut invalidum eſſe Deum ſine culpa tantis miſerijs parvulos cruciantem. Quod ſi illud Barathrum fugere velint, vide quid reſtet: *Aut quia Deum vel impotentem vel iniquum dicere non poteſtis, Manichæi contra vos errorem ſuum nefarium de duarum inter ſe inimicarum ſubſtantiarum permixtione firmabunt.* Nempe manifeſtum eſt nullum

Lib. 6. cont. Iul. cap. 21.

nullum exitum, Auguſtino judice, ſupereſſe A
ei qui puram naturam introducere vellet, ſic-
ut Iulianus voluit, niſi per blaſphemiam crea-
toris aut infamiam creaturæ, ut vel ipſum
omnipotentem ac juſtum neget, vel cum Ma-
nichæis hanc naturaliter malam eſſe fatea-
tur. Vtrumque damnat & execratur Catho-
lica fides.

Hanc igitur conſequentiæ neceſſitatem in-
tuetur Auguſtinus quando toties Pelagianis
exprobrat, quod in Manichæi ſententiam
iſta purorum naturalium defenſione coge-
rentur. Supponit enim, ut jam audivimus,
eos nolle lædere omnipotentiam aut juſtitiam
Dei. His autem clauſis oſtijs, ſublatoque
tam hujus quàm ſuperioris vitæ peccato,
quod Pelagiani quoque auferebant, nullum
omnino ſupereſſe putatur effugium niſi per
Manichæi præcipitium. Quod ex plurimis
ejus teſtimonijs videre licet. Nam hoc ſpi- B
rant illa in opere primo contra Iulianum: *Ne*
Lib. 5. cont. *dicere cum Manichæis cogaris, alienæ mali natura*
Iul. cap. ult. *nobis ineſſe commixtionem, noſtrum potius origi-*
*nalem confitere languorem.* Ecce niſi peccatum
originale fateatur, cogitur in aſſerendis mi-
ſerijs ſine peccato promerente aſſentiri Ma-
nichæis, quia videlicet Deus injuſtus aut in-
firmus eſſe non poteſt. Hoc ſpirant illa in
opere ſecundo adverſus eundem Iulianum: *Si*
Lib. 1. oper. *ergo Manichæos introducentes aliam naturam mali*
imperf. f. 96. *atque ſubſtantiam expugnare velles non adjuvare,*
*profectò iſtas omnibus apertas à parvulis incipientes*
*humanæ vitæ miſerias cum tuis deceptoribus non ne-*
*gares, ſed unde in eas collapſa ſit noſtra natura, quæ*
*beata eſt primitus inſtituta, cum Catholicis fidelibus*
*& præclariſſimis Doctoribus diceres.* Et illud in
Lib. 2. oper. imper. f. 316 ſecundo libro: *Manichæos tu adjuvas quibus in-*
*ducendi aliam naturam malam das locum negando*
*originale malum eſſe cauſam miſeriæ parvulorum.*
Nempe quia naturam puram earum cauſam
eſſe credebat. Nam hoc ſpirat & illud mul- C
Ibid. f. 459. to inferius: *Quas miſerias vos cum ſine ullo pec-*
*cato accidere dicitis parvulis, injuſtum Deum ver-*
*ſus eos facitis: Manichæos autem horribiliter ad-*
*juvatis. Illi enim ne facerent injuſtum Deum, iſtas*
*miſerias à nativitate mortalium immutabili naturæ*
*mali, & ab alio principio venienti ſubſtantiæ tri-*
*buunt tenebrarum. Quos impios ſimul & vos con-*
*vincit Catholica fides, quæ iſta omnia peccato illi*
*tribuit, quod ex primi hominis voluntate intravit*
*in mundum.* Hoc ſpirat id quod toties alijs in
locis clamat, per illam Pelagianam hypo-
theſin de miſerijs naturaliter congenitis, Ma-
nichæorum de malæ naturæ commixtione
ſententiam adjuvari: ut illud in libro ſexto
Lib. 6. cont. primæ lucubrationis: *Verum nec ipſos Mani-*
Iul. c. 22. *chæos contriviſti quos potius adjuviſti, tu maxime*
*& in commune omnes Pelagianæ novitatis errorisque*
Lib. 1. oper. *participes, ſicut iam demonſtravi: Deteſtor adju-*
Imper. f. 55. *tores Manichæorum, in quibus appetis principatum.*
Ibid. f. 124. Et illud perſpicuum: *Tu ergo adjutorem Ma-* D
*nichæi te non eſſe oſtende ſi potes, qui miſerias ho-*
*minum cum quibus eos naſci quoniam ſine dubio*
*ſentit genus humanum, nolens tribuere peccato vi-*
*tiatæ naturæ noſtræ, facis ut eas ille permixta no-*
*bis natura tribuat alienæ.* Et illud multis in-
terpoſitis in eodem libro cum Auguſtino Ma-
nicheiſmum Iulianus improbraret, Reſpon-
det ei ſanctus Antiſtes: *Vtinam Manichæum*
*fortiter deſtrueres non turpiter adjuvares.* Et pau- Ibid.
lo inferius declarans in eo ſitam eſſe Mane-
tis errorem, quod naturæ boni communi-
caretur voluntas mala à commixta natura
mali; hoc eſt quod mala, non à vitio hu-
manæ voluntatis, ſed naturaliter ab una par-
te naturæ quæ ſic naturaliter mala ſit, pro-
manaſſent, *Ergo*, inquit, *hunc adjuvas ne-* Ibid.
*gando humanam peccato primi hominis vitiatam eſſe*
*naturam, ut naturæ mali quam fingit, attribuat,*
*quicquid malorum manifeſtiſſima invenit miſeria*
*parvulorum.* Cujuſmodi doctrina in Augu-
ſtino valde frequens eſt, & aperte ſignificat
per illam introductionem tot miſeriarum
abſque peccato, hoc eſt, per puræ naturæ
ſtatum, juſtiſſimam præberi cauſam ut Ma-
nichæus mali naturam nobis mixtam eſſe de-
cernat, & ad hoc fatendum ipſos Pelagianos
ſuæ hypotheſis neceſſitate compelli. Ex quo
fit conſequenter ut quando Manichæorum
ſententiam ac Dei impotentiam & iniqui-
tatem removet, ſimiliaque portenta ſenten-
tiarum quas hæreſis etiam Pelagiana damna-
bat, nullum exitum pro Pelagianis miſe-
rias puræ naturæ imputantibus, reliquum
eſſe teſtetur. *Non eſt*, inquit, *certe natura at-* Ibid.
*que ſubſtantia* (malum) *ſecundum Venuſianos*
*& Manichæos; ſi nec vitium naturæ eſt*, quam
ſcilicet peccatum vitiaverit, *quid eſt?* Quaſi
diceret nihil reſponderi poteſt. Et alio in
loco: *Bonus eſt Deus, juſtus eſt Deus. Extra-* Ibid.
*nea prorſus mali eſt nulla natura, quæ noſtræ na-*
*turæ ſecundum Manichæos credatur admixta. Vnde*
*ſunt, Non dico in moribus, ſed in ipſis ingenijs*
*cum quibus naſcuntur tanta hominum mala, ſi non*
*eſt humana origo vitiata, ſi non eſt maſſa damna-*
*ta?* Quod eſt aperte dicere citra blaſphe-
miam Dei & hæreſim Manichæi, & peccati
originalis fidem, quid reſponderi poteſt in
tuo errore qui mala puris naturalibus tribuit?
Nempe nihil. Et revera ſi Auguſtini prin-
cipia quæ tanquam indubitata tradit, nec
unquam à Iuliano labefactari potuerunt, at-
tente ponderentur qua via erumpi poſſit, niſi
per præcipitium plane non video. Nam ut
alibi dicit Auguſtinus, mala iſta non ex ſe-
ipſis repente naſci potuere, ſed aliquam eo-
rum cauſam eſſe neceſſarium eſt. Quæ vero
illa eſſe poteſt niſi vel creator vel creatura.
Si creator, ergo crudelis aut injuſtus Deus,
qui creaturam gratis ſine culpa cruciat. Sin
creatura, vel alia, vel ipſa quæ miſerias pa-
titur. Si alia rurſus violatur Deus, qui vel
ignarus vel impotens impedire non poteſt, ne
injuſte innocens creatura torqueatur. Sin ipſa,
ergo vel natura ipſius mala eſt, vel malo mix-
ta cui tanta mala ſunt naturalia, cui tot libidi-
noſa ac deteſtanda deſideria naturaliter con-
gruunt. Quæ eſt hæreſis Manichæi, vel ſi na-

turaliter

turaliter bona eſt, neceſſe eſt eſſe peccato aliquo vitiatam: atque ita quocunque ex latere rem conſideres, puræ naturæ ſtatus tot miſerijs infamis in Auguſtini principijs impoſſibilis eſt, ſed neceſſario ad peccatum tanquam veram & unicam malorum cauſam veniendum eſt. Atque iſta quoque vera & unica ratio eſt cur Auguſtinus ſexcentis ſuorum ſcriptorum locis, ſicut abunde in ſuperioribus conſtitit, ex ſolis miſerijs quas perpetimur, nulla alia cujuſcunque ſtatus, vel gratiæ vel alterius, vel divinæ promiſſionis hypotheſi, cujus ne quidem umbra uſpiam reliqua eſt, irrefragabili conſecutione, peccatum in humana natura præceſſiſſe convincit. Imo quod invictius & evidentius illius argumenti robur oſtendit, ex illis ipſis miſerijs demonſtrari docet, hypotheſin puræ naturæ eſſe impoſſibilem, injuſtitiam dare Deo, blaſphemiam inferre Creatori, quæ profecto puerorum terriculamenta ſunt, & luxatæ mentis deliria, ſi nihil vetet hominem in pura natura condi, & tot tantiſque miſerijs innocentem ſine ulla Dei iniquitate torqueri.

Ex hac igitur conſtanti & ſibi undique conſentiente Auguſtini doctrina patet, nihil ab ejus principijs magis abhorrere nihil capitalius pleriſque repugnare quam puræ naturæ ſtatum. Eſt enim ſtatus in quo neque juſtitia, neque ſapientia, neque veritas, neque Deus ullo amore niſi carnali vitioſoque diligi poteſt. In quo nulla fruitio Dei, neque parva, neque magna, nulla beatitudo ſupernaturalis, nulla naturalis. Eſt enim ſtatus erroribus cæcus, offenſionibus inquietus, perturbationibus miſerabilis, moriendi neceſſitate damnatus. In quo nullus amor niſi creaturæ, nulla libertas arbitrij niſi noxia, nullus actus niſi perverſus & malus. In quo perpetua contra ſemet-ipſam lucta creaturæ; quam neque Deus dare, neque creatura ſedare poteſt. Cui naturalia ſint ſola & omnia peccandi deſideria, quibus eadem naturæ lege indulgere liceat, qua etiam libet: *Bonum eſt enim quod naturaliter libet.* In quo creaturam pudet de operibus creatoris, & nominare, & monſtrare, & facere erubeſcit opus, quod Deus inſtituit. In quo profundiſſima rerum agendarum ignorantia, qua per ſe fit ut ei liceat, quicquid naturæ lege damnatur. In qua tam horrendo miſeriarum omnium jugo humanum genus atteritur ut & Philoſophi & hæretici & antiqui Catholici exhorruerint illud aſcribere Deo; utpote quod defendi non poſſet ſine blaſphemia Creatoris, qui tanta injuſtitia & crudelitate ſæviat in creaturam ſuam ut eam innoxiam acerbiſſimo ſupplicio plectat. Quam enim immenſam & quam horribilium malorum atque miſeriarum ſeriem ſtatus ille complectatur quis facile mente cogitet? Quis feſtinanter exponat? Intueatur quilibet univerſas damnatæ naturæ calamitates (eaſdem quippe prorſus eſſe etiam puræ volunt) vel ſi oculi ipſa earum vaſtitate caligent, legat eas aliqua ex parte recenſentem Auguſtinum in libris de Civitate Dei. Quæ ſane omnia ſi animo ab inveterata loquendi & ſentiendi conſuetudine in divinæ juſtitiæ veritatem, ſeveritatemque æternæ veritatis abducto, juxta ſanctiſſima, profundiſſima, ſecuriſſimaque Auguſtini principia ponderentur, clamabunt profecto nihil in ejus doctrina indignius creatura rationali, nihil monſtroſius ordini Vniverſi, nihil injurioſius Deo excogitari poſſe quam illam puræ naturæ machinam quæ depingi ſolet. Quod ſi quis iſta necdum liquidâ intelligentiæ ſinceritate penetrare poſſit, ſatius eſſet ei credere ut intelligere mereatur, Dei ſimul & creaturæ rationalis bonitatem longe ſublimius per huiuſmodi ſupra traditam inſtitutionem, quam per Ariſtotelicas conjecturas commendari, quibus exiſtimant Deum poſſe creaturam rationalem innocentiæ dote locupletem, inferni pœnis cruciare, & peccatricem ad claram Dei viſionem attollere. Nam inde maxime elucet ſumma bonitas Dei, ſi creatura rationalis nullum omnino extra Deum reperire poſſit bonum, unde ei ſine ipſo bene ſit, & unde ei omnis miſeria auferatur. Creaturæ vero rationalis bonitas atque dignitas inde maximè apparet, ſi nullum omnino bonum ei ſufficiat quando non adhæret illi ſummo & vero bono. Hæc Doctor Eccleſiæ ſummus ſuo feliciſſimo diviniſſimoque ingenio excellentius omnibus hujus mundi Philoſophis & Scholaſticis penetravit. Nam quantum ad primum, ita locutus eſt in libro duodecimo de Civitate Dei: *Itaque quamvis non omnis beata eſſe poſſit creatura, ea tamen quæ poteſt, non ex ſe-ipſa poteſt, quia ex nihilo creata eſt, ſed ex illo à quo creata eſt. Hoc enim adepto beata eſt, quo amiſſo miſera eſt.* Et paulo inferius: *quod uſque adeo bonum eſt eorum ut ſine illo miſera eſſe neceſſe ſit.* Vbi (ſine illo) nihil aliud ſignificat niſi ſine amore quo illi adhæretur. Nam amore Deo cohærere eſt eſſe cum Deo, ſine quo miſerum eſſe neceſſe eſt: juxta illud itidem ſancti Auguſtini: *Magna hominis miſeria eſt, cum illo non eſſe, ſine quo non poteſt eſſe. In quo enim eſt, procul dubio ſine illo non eſt: & tamen ſi eius non meminit, eumque non intelligit nec diligit, cum illo non eſt.* Sic ergo ex hoc maximè apparet bonitas Dei. Quantum ad ſecundum vero ex hoc ipſo etiam maximè bonitas creaturæ rationalis commendatur dicente in eodem de Civitate Dei loco Auguſtino: *Quod cum ita ſit, huic naturæ quæ in tanta excellentia creata eſt, ut licet ipſa ſit mutabilis, inhærendo tamen incommutabili bono, id eſt ſummo Deo, beatitudinem conſequatur, nec expleat indigentiam ſuam niſi utique beata ſit, eique explendæ non ſufficiat niſi Deus, profecto non illi adhærere vitium eſt.* Vbi ex illo principio concludit: *Hinc apertiſſimè declaratur, illius naturæ ut Deo adhæreat convenire.* Et in libro de natura boni, utramque & Dei & creaturæ rationalis excellentiam inde declarans: *Tale*

Auguſtin. Ibid.

*Lib. 19. c. 4. uſque ad 9. & præcipue lib. 22. c. 22. & 23.*

*Lib. 12. de Civit. c. 1.*

*Lib. 4. de Trinit. c. 12.*

*Lib. 12. de Civit. c. 1.*

*Ibid.*

Lib. de nat. boni c. 7. *quippe bonum eſt Deus, ut nemini eum deſerenti bene ſit: & in rebus à Deo factis, tam magnum bonum eſt natura rationalis, ut nullum ſit bonum, quo beata ſit niſi Deus.* Et in libro decimo-tertio Conf. Lib. 13. Confeſſ. c. 8. *Nam & in ipſa miſera inquietudine defluentium ſpirituum &c. ſatis oſtendis, quàm magnam creaturam rationalem feceris, cui nullo modo ſufficit ad beatam requiem quicquid te minus eſt, ac per hoc nec ipſa ſibi.* Vnde paulo poſt confitetur Deo: Ibid. *Hoc tantum ſcio quia male mihi eſt præter te, non ſolum extra me, ſed & in me ipſo, & omnis mihi copia quæ Deus meus non eſt, egeſtas eſt.* Ex quo relinquitur ſatis, ſolum Deum eſſe verum creaturæ rationalis bonum, ſolumque Deum ejus egeſtatem explere poſſe; ſine illo bono, quod ſolâ dilectione poſſidetur prorſus miſe- A ram eſſe creaturam rationalem, in quantacunque, qualicumcunque, quantorumcunque bonorum aliorum affluentia. Sine illius igitur boni dilectione, per quam anima Deo & corpus animæ, juxta æternæ & ordinatiſſimæ legis exigentiam ſubditur, ab optimo, omnipotentiſſimo juſtiſſimoque Deo creari nullo pacto poteſt; ne alioquin ipſe creator ejus impotens, invidus, vel injuſtus eſſe convincatur, dum imaginem ſuam innocentem perpetua inquietudine ac tot malis ex illius amoris abſentia profluentibus, tot cruciatibus animi corporiſque perpetuò affligi facit. Nunc reliquum eſt ut nonnullas difficultates occurrentes diſſolvamus.

## CAPVT XVI.

### Solvitur difficultas ex Auguſtini Commentario in Pſalmum ſeptuageſimum.

PRIMVM igitur ad tuendam juſtitiam Dei in infligendis pœnis opponi poſſunt illa ſancti Auguſtini verba ex Pſalmo ſeptuageſimo: Initio Conc. *Multum movet Dei amor & timor. Timor Dei, quia juſtus eſt; amor, quia miſericors eſt. Quis enim ei diceret, quid feciſti ſi damnaret juſtum? Quanta ergo miſericordia eius ut juſtificet injuſtum?* Vbi Auguſtinus aperte ſignificat nihil Deo responderi poſſe ſi damnaret etiam juſtum. Ergo multo minus ſi hominem in ſtatu puræ naturæ cum miſerijs mortalitatis condere.

Ad hunc locum dupliciter reſponderi poteſt, primo loqui ſanctum Auguſtinum de præſentis vitæ ſtatu quem peccando promeruimus. Nam poſt originalis culpæ meritum, non ſolum quælibet corporalis miſeria juſtis permitti imo inferri à Deo poteſt, quemadmodum ex calamitatibus juſti Iob, & ex plurimis Auguſtini teſtimonijs abunde patet; ſed B etiam ipſa damnatio. Non quidem hoc ſenſu, quaſi juſtum in juſtitia perſiſtentem Deus, *qui juſte omnia diſponit*, ſine iniquitate damnare, ſed quia poſt lapſum hominis neminem quantumvis juſtum tenetur impedire ne rurſum in peccatum damnationemque prolabatur. Gratuito quippe Deus dat homini juſtitiæ perſeverantiam, & juſtitiam; nec minus gratulatio debetur Deo quod ab imminente ei ruina auxilium ejus damnatione juſtum, quam quod injuſtum ab ipſa culpa liberaverit. Nihil iſtorum ante ruinam humani generis locum habuit. Nam ibi ipſa hominis innocentia ab omni miſeria tutabatur, ipſa poteſtas liberæ voluntatis, gratia etiam juvante, ſi vellet, ab Lib. de nat. boni c. 7. omni peccati ac damnationis metu. *Creaturis enim præſtantiſſimis, hoc eſt, rationabilibus ſpiritibus, hoc præſtitit Deus, ut ſi nollent corrumpi non poſſent.* ſicut fusè ſupra ex Auguſtino demonſtravi- C mus. Ex ſola igitur libera eorum voluntate corruptio ſive culpæ, ſive pœnæ naſci poteſt. Ibid. *Si enim obedientiam conſervare noluerint, quoniam* A *volentes corrumpuntur in peccatis nolentes corrumpantur in pœnis.* Hoc ſolo autem caſu corruptio, hoc aperto, integritas eorum impoſſibilis eſt, Dei juſtitia in utramque partem vigilante, ne vel innocentem damnet, vel nocentem inultum ſinat. Quicquid ergo de juſtitia Dei erga innocentiam creaturæ rationalis ex Auguſtino diximus, de innocentia propriè dicta, hoc eſt, nullo omnino peccato maculata, in quocumque ſtatu ante peccatum, ſive integræ, ſive elevatæ, ſive puræ naturæ intelligi debet ſicut Auguſtinus intelligit. Cum Manichæis quippe & cum Pelagianis de malorum origine quæſtio fuit, quos ex ſolis miſerijs creaturæ & juſtitia Dei, falſa, etiamque convincit, quando Adamum quam cum ſeque poſt mortem ſive Dei creantis abſolutam voluntatem, ſive ignem ejus cum gente tenebrarum, ſive naturam malam, hoc eſt, naturaliter malam, apertè voluerunt. Sed cum de hominibus jam ſemel B peccato lapſis & in miſerias mortalitatis ac morte juſte præcipitatis agitur, longe aliam doctrinam etiam de juſtis jam à peccato juſtificatione liberatis, eadem ſecuritate tradit. Nimirum quod *non ſolum ipſa mors ſed omnia ſeculi huius mala, quamquam de peccatorum & maximè de peccati originalis merito veniant, tamen & remiſſis peccatis remanere debuerunt cum quibus homo pro veritate certaret, & unde exerceretur virtus fidelium.* Hoc enim ipſum ad peccati meritum pertinet, ut quia noluit homo, cum ſumma facilitate poſſet, conſervare juſtitiam, non eam niſi cum dolore recipiat, non niſi cum labore agat, non niſi cum difficultate conſervet: ut lapſu fractus & vulneris dolorem ſentiens, cautius & firmius ambulet in juſtitia ne ei peccare ſit luſus. *Noluit homo*, inquit Auguſtinus, *in delicijs ſervare juſtitiam. Proinde ſtatuit* C *Deus, ut poſt eius peccatum propagata caro peccati, ad recipiendam juſtitiam laboribus & moleſtijs niteretur.* Ex quo fit ut quicquid miſeriarum atque pœnarum Deus etiam juſto inferri permittat

Lib. 2. de peccat. merit. c. 34.

mittit aut jubet, juſtiſſime inferatur. Meruit enim peccatum ut etiam juſtus in hac vita cum auſteritate tractaretur. Quicquid enim moleſtiarum patitur, vel ex vulnere nondum plene ſanato naſcitur, vel de adjutorio quo ſanandum eſt. Sicut igitur nemo niſi inſanus culpat medicum, ſi vel ex vulnere vel ex vulneris medicina dolores patiatur, ita nemo profectò niſi imprudens, Deum injuſtitię accuſaverit, ſi nunc etiam juſtus, ex morbi ſui reliquijs vel medicinalium adjutorijs miſeriarum moleſtijs doloribuſque crucietur. Qua de re fuſe præclariſſimeque Auguſtinus:

In Pſ. 118. *Quoniam ſic eſt in animo beatitudo, ut in corpore ſanitas, quemadmodum in ipſo corpore alia præcipitur medicina ne bona valetudo amittatur, alia vero ut amiſſa recuperetur: ſic in toto ſtatu hominis, alia tunc præcepta data ſunt, ne amitteret immortalitatem, alia nunc præcipiuntur ut eam recipiat. Et ſicut in valetudine corporis, ſiquis præceptis medici quibus eadem valetudo cuſtodienda eſt, non obtemperando in aliquem morbum inciderit, accipit alia præcepta ut ſanari poſſit; quæ ſæpe non ſufficiunt, ſi talis eſt morbus, niſi adhibeantur a medico quædam adjutoria, plerumque aſpera & dolores importantia, quæ tamen valent ad recuperandam ſalutem: unde fit ut homo, quamvis iam obtemperans medico, patiatur tamen aliquos dolores non ſolum de ipſo morbo nondum ſanato, verum etiam de adjutorio medicinæ. Ita homo per peccatum lapſus in huius vitæ morbidam & calamitoſam mortalitatem, quia primo præcepto obtemperare noluit, quo ſempiternam cuſtodiret ac teneret ſalutem, ſecunda præcepta æger accepit: quibus obtemperans iam quidem non abſurde dicitur juſte vivere, ſed tamen moleſtias quas patitur, vel de ipſo morbo nondum ſanato patitur, vel de adjutorio medicinæ. Cui adjutorio deputatur quod ſcriptum eſt, quem enim diligit dominus corripit: flagellat autem filium omnem quem recipit.*

Alia tamen ſolutio verior eſt, corruptum eſſe S. Auguſtini locum, legendum enim videtur: *Quis enim ei diceret quid feciſti? Si damnaret injuſtum?* Hoc enim in primis poſtulat ipſe ſacræ Scripturæ locus ex quo verba illa deprompſit. Nam Sapientiæ duodecimo, cùm ſapiens Dei miſericordiam in remittendis peccatis exaltare vellet, verbis illis utitur quibus Auguſtinus, *quis enim dicet tibi, quid feciſti?* Sed eo fine ut oſtendat, Deum argui non poſſe ſi damnaret injuſtos. Sic enim in Contextu

Sapi. 12. v. 11. & 12. præcedit & ſequitur: *Nec timens aliquem, veniam dabas peccatis illorum. Quis enim dicet tibi, quid feciſti? Aut quis ſtabit contra iudicium tuum? Aut quis in conſpectu tuo veniet vindex iniquorum hominum?* Quæ perſpicuè ſignificant neminem poſſe injuſtos à debita damnatione vindicare, aut redarguere judicium Dei, ſi iniquorum hominum peccata quibus veniam dabat, Dei vindicta ſequeretur. Totus denique ille locus, ad quem Auguſtinus reſpicit, & cujus verbis utitur, nihil aliud ſpirat, quam Dei in damnandis peccatoribus & non damnandis juſtis æquitatem. Nam inter cetera diſertiſſimis dicit verbis, quæ merito frenum quorumdam Scholaſticorum licentiæ injicere debuiſſent:

V. 15. *Cùm ergo ſis iuſtus, iuſte omnia diſponis: ipſum quoque qui non debet puniri, condemnare exterum æſtimas a tua virtute. Virtus enim tua iuſtitiæ initium eſt.* Adverſus quæ tanta luce fulgentia, quiſquis recentiorum loquitur non imitandus eſt, ſed corrigendus. Nam quod ad veteres maximeque ſanctum Auguſtinum ſpectat, religioſiſſime ſemper iſtam Scripturam & in eodem ipſo loco ſequitur.

Itaque ſecundo patet corruptum eſſe Textum Auguſtini, quia paulo poſt in ejuſdem Pſalmi Commentario, eandem doctrinam, eadem verborum forma de injuſtis & peccatoribus juſtè dãnandis tradit: *Nihil deeſſet,* (laudi tuę) *ſi damnares omnes iniquos. Non enim non eſſet magna laus Dei iuſtitia pia, qua iniqui damnantur. Magna laus eſſet.* Et ita iam rurſum adjicit: *Peccavit, factum eſt genus humanum tanquam maſſa peccatorum, profluens de peccatoribus. Quid ergo? Tu ſi maſſam iſtam iniquitatis damnes, quiſquam tibi dicet iniuſte feciſti? Eſſes plane etiam hic iuſtus, & omnis eſſet iſta laus tua, ſed quia liberas & ipſum peccatorem iuſtificando impium, adjiciam ſuper omnem laudem tuam.* Ecce iiſdem verbis Scripturæ quibus ante uſus fuerat, & hic dicit, *Si maſſam iſtã iniquitatis damnes, quiſquam tibi dicet iniuſte feciſti?* Et continuo ſubjungit de majore miſericordia qua juſtificatur impius: ut dubitari non poſſit, eandem hic & initio iſtius Commentarij doctrinam tradi. Nam verba nobis objecta videntur eſſe compendium eorum, quæ in iſtum Pſalmum latius de juſtitia Dei in puniendis peccatoribus, & miſericordia in juſtificandis impijs, tradere propoſuerat. Idcirco namque poſtea quoque fuſius compeſcit querimonias murmurantium adverſus Deum. Cùm enim pluribus eos arguiſſet, qui cùm puniuntur nihil ſe male feciſſe conqueruntur, ideoque ſe non recto judicio tanta pati: ſemper eos divinæ juſtitiæ freno reprimit, ac tandem aheneum hunc murum objicit murmurantibus: *Erubeſce, ut tibi diſplice. Nihil boni faceres niſi ille bonus eſſet; & nihil mali patereris, niſi ille iuſtus eſſet.*

In Pſal. 70.

Conc. 1. in Pſal. 70.

Ibid.

Tertio correctionem iſtam poſtulat ipſa difficultatis objectæ circumſtantia. Nam illis verbis, *Quis enim ei diceret quid feciſti? Si damnaret iuſtum? Quanta ergo miſericordia eius ut iuſtificet iniuſtum,* probare voluit Auguſtinus duo capita quæ præmiſerat, Deum timendum & amandum: timendum propter juſtitiam, amandum propter miſericordiam. *Multum movet,* inquit, *Dei timor & amor: timor quia iuſtus eſt: amor quia miſericors eſt.* Timori quippe juſtitia Dei reſpondet in verbis objectis damnatio juſti; amori miſericordiæ, juſtificatio injuſti. Quis autem audivit unquam non dico ab Auguſtino, ſed vel ab emotæ mentis homine commendari juſtitiam Dei, ex eo quod juſtos ipſe damnaret? Nam quamvis aliqui Scholaſtici recentiores inventi ſint qui dicerent juſtos à Deo poſſe ſine iniquitate damnari, nemo tamen eorum eo uſque deliravit quod diceret, ut in hac damnatione elucere diceret juſtitiam & non potius Dominium vel ſupremam poteſtatem

ſtatem Dei. Quid vero ineptius quam quod Deus timendus eſſe ſuaderetur juſtis, quia juſtos damnare poſſet? Exhortatio iſta inaudita eſt in Eccelſia Dei: ubi potius reſonant illa Apoſtoli verba, *Deus qui iuſtificat, quis eſt qui condemnet?* Et illa Sapientis: *Ipſum qui non debet, puniri condemnare, exterum æſtimas à tua virtute.* [Rom. 8. Sap. 12.]

Quarto poſtulat hujuſmodi correctionem totius doctrinæ Auguſtianæ conſonantia. Nam ut ſuperius ſatis vidimus, tota moles A doctrinæ ipſius undique clamat, injuſtum eſſe Deum, ſi non dico juſtos ipſe damnaret, quod exhorret velut capitaliter inimicum Deo, ſed ſi vel quempiam quacunque pœna ſine peccati merito cruciaret. Quid ergo magis contra Auguſtinum dici poſſet quam Deum juſtum etjam juſtos poſſe damnare? Nam excepto illo qui objicitur loco in univerſis ejus lucubrationibus nullum talis opinionis veſtigium inveniri poteſt.

# CAPVT XVII.

## Proponitur gravis difficultas ex libro tertio de libero arbitrio, quo ignorantia & difficultas ponuntur eſſe primordia naturalia: & oſtenditur hypotheſin illam longe differre à ſtatu puræ naturæ.

ALIA difficultas longe major ex libro tertio de libero arbitrio ſuſcitatur, ubi multis docet quod Deus eſſet laudabilis, *quamvis ignorantia veri & difficultas recti eſſet naturalis homini*, hoc eſt, ſi ignorantia & concupiſcentia, quam nomine difficultatis intelligit, eſſent homini naturaliter concreata; ſub illis autem vel cum illis comprehendit etjam omnes corporis miſerias, ut ex capite 23. patet, ubi de morte parvulorũ & cruciatibus, ſi eos ſine peccato paterentur, movet controverſiam, & eandem rationem eſſe tradit. Neque ſententiam iſtam ſuam in libris retractationnm revocavit, ſed potius confirmavit, quando dixit: *Quam miſeriam* (difficultatis ſeu concupiſcentiæ & ignorantiæ) *Pelagiani nolunt ex iuſta damnatione deſcendere, negantes originale peccatum. Quamvis ignorantia & difficultas etiamſi eſſent hominis primordia naturalia nec ſic culpandus Deus, ſed laudandus eſſet, ſicut in eodem libro tertio* de libero arbitrio *diſputavimus.* Ergo ſine Dei injuſtitia, ſecundum Auguſtinum poſſent ignorantia & concupiſcentia, quæ diriſſima mala ſunt multoque magis ceteræ mortalitatis miſeriæ eſſe in ſtatu puræ naturæ primordia hominis naturalia. [Lib. 3. c. 24 vid. & c. 20. & 18.] [Lib. 1. retract. c. 9.]

Reſpondetur hypotheſin Auguſtini qua ponit ignorantiam & concupiſcentiam eſſe primordia hominis naturalia, longiſſime differre ab eo ſtatu puræ naturæ quem hactenus oppugnavimus. Quod ex duobus capitibus capitaliter puræ naturæ repugnantibus oſtendi poteſt.

Nam primo Auguſtinus in illa hypotheſi ſupponit peccatum præceſſiſſe quod ignorantiam ac difficultatem, totamque conſequenter corporis mortalitatem promeruerit, atque integritatem primi hominis violaverit. Nam illa totius origo diſputationis iſtius fuit, quod cum punitum eſſe primum hominem ignorantia, difficultate & mortalitate conſtitiſſet, quæſtio moveretur, cur proles ejus cum iiſdem miſerijs naſceretur. *Hic occurrit illa quæſtio,* [Lib. 3. c. 19.]

A inquit, *quam inter ſe murmurantes homines rodere conſueverunt. Dicunt enim, ſi Adam & Eva peccaverunt, quid nos miſeri fecimus, ut cum ignorantiæ cæcitate & difficultatis cruciatibus naſceremur?* Et capite ſequenti pergit oſtendere, hoc *rerum moderatori ſummo Deo iuſtiſſime placuiſſe.* Defendit hoc autem ſecundum quatuor modos incarnationis animarum quos cogitare poſſemus, Vt videlicet anima prolis ex anima parentis propagetur, vel in corpore iam corrupto nova creetur, vel ante creata ad illud mittatur à Deo; vel eò ſponte labatur. Sed in omnibus illis quatuor modis ſupponitur corpus parentis, & conſequenter corpus prolis quod inde generatione ducitur, & ab anima prolis quocunque quatuor modorum animandum eſt, primi parentis iniquitate eſſe violatum, utpote qua tam ſibi quam proli pœnam ignorantiæ, difficultatis ac mortalitatis accerſerit. B Hoc enim in ſingulis illis modis diſerte tangit. Nam in primo dicit: *Si una anima facta eſt, ex qua omnium hominum animæ trahuntur naſcentium, quis poteſt dicere non ſe peccaſſe cum primus ille peccavit.* In ſecundo vero: *Si autem ſigillatim fiunt in uno quoque naſcentium non eſt perverſum imo convenientiſſimum & ordinatiſſimum apparet ut malum meritum prioris, natura ſequentis ſit.* In tertio: *Si vero in Dei aliquo ſecreto iam exiſtentes animæ mittuntur ad inſpiranda & regenda corpora ſingulorum quorumque naſcentium, ad hoc utique mittuntur officium, ut corpus quod de pœna peccati, hoc eſt, de mortalitate primi hominis naſcitur, bene adminiſtrando* &c. Et mox, *caro de propagine veniens peccatoris venientibus ad ſe animis hanc ignorantiam & difficultatem facit.* Quam *miſeriam*, quod *ſupplicium* ab animabus illis ſuſcipi dicit; & in quarto incarnationis animæ modo eandem rationem eſſe declarat. Ex quibus manifeſtum eſt, in tota illa hypotheſi Auguſtini peccatum hominis C ſupponi, quod & ſua & prolis ignorantia & difficultate & mortalitate punitum eſt. Sed in hoc eſt inter illos quatuor modos differentia, quod in primo quo anima prolis ex parentis anima propagatur, iſtæ pœnæ non ſolum patris,

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

patris, ſed & prolis tanquam peccatricis ſupplicia eſſe ſtatuantur; in reliquis tribus patris tantum. Supponitur enim animam prolis non ex anima propagatam, ſed vel creatam in corpore vitiato, vel ad corpus vitiatum à Deo deſtinatam, aut certe ſponte ad illud lapſam, nihil omnino peccaviſſe, & ideo illa non eſſe ſupplicia animabus iſtis irrogata, ſed primordia naturalia, ex parentis tamen iniquitate transfuſa. Nihil illorum ſtatui purè naturali convenit, in quo Deus corpus & animam condere decernitur, non qualia meritorum atque ſuppliciorum ordo, ſed humanæ naturæ conditio flagitaverit, & ipſiuſmet æquiſſimi ſanctitas, & ſanctiſſimi æquitas conditoris. Vna quippe circumſtantia mutata, ſicut apud perſpicaces ac prudentes viros, ita multo maxime apud ipſam veritatem atque ſapientiam alias rerum agendarum regulas poſcit.

Sed alia longe capitalior inter hypotheſin Auguſtini & ſtatum puræ naturæ differentia eſt. Hic enim eſſentialiter poſtulat, ut in eo nihil omnino gratiæ ſit, nulla fides, nulla charitas, nulla ad ſupernaturalem ſtatum elevatio, nulla incorruptionis ac felicitatis æternæ, quam fides Chriſtiana futuram credit, exſpectatio: hypotheſis vero Auguſtini in eo ſtatu quo ignorantia ac difficultas eſſent primordia naturalia, univerſa iſta ſupponit. Quod ita manifeſtum eſt in Auguſtino ut non poſſit ullo pacto in dubium revocari. Nam & fidem & bonorum operum exercitium Deum in illa hypotheſi, contra illa duo mala tribuiſſe expreſſe docet: *Dedit enim ille*, inquit, *& facultatem bene operandi in laborioſis officijs* hoc eſt, contra difficultatem, *& viam fidei in oblivionis cæcitate.* Et rurſum, adjutorium gratiæ Dei, & gloriam æternæ beatitudinis certantibus eſſe præparatam. Nam probans tales animas poſſe credere, rectéque operari ſubjicit: *Iudicium illud vel maxime, quod anima omnino & quærendum eſſe concedit, quod inutiliter neſcit, & perſeveranter in laborioſis officijs enitendum ad evincendam recte faciendi difficultatem, & opem à creatore implorandam; ut conantem adjuvet, qui vel extrinſecus lege, vel in intimis cordis allocutione conandum eſſe præcepit, & præparat civitatis beatiſſimæ gloriam triumphantibus de illo, qui primum hominem ad iſtam miſeriam perduxit, victum peſſima ſuaſione; quam miſeriam iſti ſuſcipiant ad eum vincendum optima fide.* Et paulo ante dixerat tales animas quibus ignorantia ac difficultas naturalis eſſet, mitti *ad hoc officium, ut corpus quod de pœna peccati, hoc eſt, de mortalitate primi hominis naſcitur, bene adminiſtrando, id eſt, caſtigando per virtutes, & ordinatiſſime atque legitime ſervituti ſubjiciendo, & ipſi comparent ordine atque tempore oportuno cæleſtis incorruptionis locum.* Et ſtatim in initio hypotheſis illius explicans conditionem animæ, quæ naturaliter ignorantia ac difficultate premitur: *Non enim*, inquit, *mediocria bona ſunt, non ſolum quod anima eſt, qua natura iam omne corpus præcedit, ſed etiam quod facultatem habet ut adjuvante creatore ſeipſam excolat, & pio ſtudio poſſit omnes acquirere & capere virtutes, per quas & à difficultate cruciante & ab ignorantia cæcante liberetur.* Ecce adjutorium creatoris. Ecce pietatem, ecce omnium adeptionem virtutum; ecce liberationem ab ipſa ignorantiæ cæcitate, & concupiſcentiæ difficultate. Et paulo poſt: *Neque omnino potuit, niſi Deus omnipotens eſſe etiam talium creator animarum, quas & non dilectus ipſe faciat, & diligens eas reficiat & dilectus ipſe perficiat: qui & non exiſtentibus præſtat ut ſint, & amantibus eum à quo ſunt, præſtat ut beatæ ſint.* Ecce dilectionem qua tales animæ diligunt Deum; ecce refectionem qua in ſuæ naturę integritatem reſtaurantur, ecce beatitudinem quam Deus tribuit ut beentur. Et inferius multis interpoſitis ſtatum animarum iſtarum ſupernaturalem quibus difficultas ac cæcitas naturalis eſſet, ſatiatiſſime clariſſimeque proponit: *Ignorantia vero & difficultas ſi naturalis eſt, inde incipit anima proficere, & ad cognitionem & requiem, donec in ea perficiatur vita beata promoveri.* Et rurſum infra fuſius: *Sic etiam & nunc, ſi ignorantia veri & difficultas recti naturalis eſt homini, unde incipiat in ſapientiæ quietiſque beatitudinem ſurgere, nullus hanc ex initio naturali recte arguit. Sed ſi proficere noluerit, aut à profectu retrorſum relabi voluerit, iure meritoq; pœnas luet. Creator vero eius ubique laudatur, vel quod eam ab ipſis exordijs ad ſummi boni capacitatem inchoaverit, vel quod eius profectum adjuvet, vel quod impleat proficientem atque perficiat.* Et utilitatem illius difficultatis quam haberet in illo caſu anima naturalem eam eſſe docet, *ut ex ipſa difficultate admoneatur eundem implorare adjutorem perfectionis ſuæ, quem inchoationis ſentit autorem: ut ex hoc ei fiat charior dum non ſuis viribus, ſed cuius bonitate habet ut ſit, eius miſericordia ſublevatur ut beata ſit. Quanto autem charior illi eſt à quo eſt, tanto in eo firmius acquieſcit, & tanto uberius eius æternitate perfruitur.* Cui mox adjungit, Deum ideo iſti animæ difficultate cæcitateque naturaliter laboranti tale exordium tribuiſſe, *ut ſtudendo ac proficiendo ad frugem ſapientiæ iuſtitiæque perveniat*; tantumque illi præſtitiſſe dignitatis *ut in eius etiam poteſtate poneret, ſi vellet ad beatitudinem tendere.* Quid luculentius, quid apertius, quid ab omni ambiguitate defecatius, quam Auguſtinum in hypotheſi ſua verum propriſſimumque gratiæ ſtatum delineare? Nam & fidem animabus difficultate & cæcitate, quaſi naturaliter laborantibus tribuit, & opera bona & ſapientiam, & juſtitiam, & adjutorium miſericordiæ Dei, & amorem ſeu dilectionem ejus, & omnium virtutum ſtudium & tendentiam in beatitudinem & liberationem tandem ab ignorantia & difficultate, & corporis ipſius mortalis incorruptionem, & cæleſtis incorruptionis locum, & civitatis beatiſſimæ gloriam & triumphum de diabolo, & beatitudinem in quam non ſuis viribus ſed Dei miſericordia ſubleventur, & fruitionem æternitatis Dei. Vt omnino manifeſtum ſit in alio nullo differre Auguſtini hypotheſin à præſenti gratiæ & ſupernaturalis elevationis, quem dicunt ſtatu, niſi quod in hoc præſenti ſtatu difficultas

Margin notes: De lib. arb. cap. 20. — Lib. 3 de lib. arbit. cap. 20. — Cap. 22. — Ibid. — In fine c. 22.

difficultas & ignorantia ſine ſevera pœna pec-cati, non ſolum quod Adam fecerit, ſed etjam quod filiis in culpam proprie dictam imputetur: in illo vero, quem ſupponit Auguſtinus, primus quidem parens vere peccaverit & corporis mortalitate & animæ difficultate ac cæcitate punitus ſit, anima tamen prolis ejus nullo peccato patris infecta, pœnas ejus non ut pœnas, ſed ut incommoda quædam ſubeat: eo quod non ex anima patris propagata, ſed vel à Deo de novo in ipſo mortali corpore condita ſit, vel ad mortale corpus miſſa, vel ſponte in illud lapſa, ubi cæcitatem ac difficultatem ſtudio pietatis & gratiæ Dei digerat atque ſuperet; ut tandem reparata etjam corporis glorioſa immortalitate, ad æternam divinæ contemplationis beatitudinem transferatur. Perfectiſſimus igitur gratiæ ſtatus eſt ille, de quo loquitur, quamvis non perfecte ſit ſtatus peccati, & proinde nihil omnino ad aſſerendum puræ naturæ ſtatum facit. Nam ex iſtis potiſſimum capitibus, ex Auguſtini ſententia, puræ naturæ ſtatum improbavimus, quæ ab hac hypotheſi longiſſimè removentur. Nimirum ex eo quod in ſtatu illo, quem Scholaſtici purè naturalem dictitant nemo poſſet diligere veritatem, juſtitiam, ſapientiam, unoque verbo Deum; nemo ad veram rationalis naturæ beatitudinem vel tendere vel pervenire; nemo vel unum opus bonum recte operari; nemo eſſe liber arbitrio; nemo tentationem quamcumq; ſuperare; nemo ab ignorantia, à difficultate, à concupiſcentia, à morte, à miſerijs liberari. Hæ ſunt enim connaturales puræ naturæ dotes à quibus nec ſuis viribus ille ſtatus exui nec alienis, hoc eſt, per gratiam Dei poteſt, niſi hoc ipſo ſtatus ille deleatur. Nam à tot trabalibus malis liberare ſola Dei gratia poteſt cum qua ſtatus puræ naturæ permanere non poteſt. Nullo igitur pacto hypotheſis Auguſtini probat vel ignorantiam ac difficultatem corporiſque miſerias, ſtatui puræ naturæ adeſſe poſſe, vel illum ipſum ſtatum purè naturalem eſſe ex Auguſtini mente poſſibilem. Nullum enim nec in hac hypotheſi nec in ullis ſcriptorum ſuorum locis novit ſtatum creaturæ rationalis Auguſtinus, niſi quo per Dei gratiam ipſa diligit Deum, diligit veritatem atque juſtitiam, recte vivit, malas cupiditates aut ignorat aut divinitus inſpirata regit, beatitudinem cæleſtis contemplationis glorioſamque corporis immortalitatem exſpectat aut tenet: quæ omnia capitaliter puris naturalibus adverſantur.

## CAPVT XVIII.

### Hypotheſis iſta non convincit pudorem, ignorantiam & concupiſcentiam eſſe poſſe primordia hominis naturalis.

SED inquies, ſaltem hoc in iſta hypotheſi clare velle videtur Auguſtinus, quod ignorantia ac difficultas, hoc eſt, libido, cui pudor ille naturalis junctus eſt, itemque graviſſimum illud miſeriarum jugum, quod nobis ex corporis mortalitate fabricatũ eſt, eſſe poſſit homini naturale, nullo in anima prolis, quæ illo jugo premitur, præcedente peccato; falſum eſt igitur, ſaltem id quod ante diximus, pudorem non poſſe eſſe naturalem eo quod hominem ſui puderet autoris: falſum & illud, quod ignorantiam ac libidinem diximus non poſſe à Deo concreari, eo quod ſint mala peccandi deſideria, quæ libertatem operis boni tollant, peccandi neceſſitatem & conſentiendi licentiam afferant, aliaque quæ ſuperius explicata ſunt: falſum & illud maxime, quod ſine Dei injuſtitia negavimus poſſe creaturam rationalem tot miſerijs premi. Si enim naturalis ponatur eſſe cæcitas, difficultas ac mortalitas, anima pœnam parentis, non peccatum ſubeunte, profecto jam pœnam, hoc eſt, pœnales afflictiones ſine afflicti culpa cernimus, totique moles argumenti ante texti funditus ruit.

Difficultatem iſtam gravem eſſe non inficior. Aderit ſpero Deus ut etjam iſtam ex Auguſtini mente diſſlemus. Tam ſunt enim firma atque munita, tot teſtimonijs clariſſimis cumulata quæ contra Pelagianos ad ſubvertendum eorum commentitium puræ naturæ ſtatum ex divinæ juſtitiæ conſideratione propoſuit, ut quicquid ex Auguſtini ſcriptis adverſus ea proferatur, intrepidus dixerim, verum eſſe non poſſit.

Ad illud igitur, quod pro pudore defendendo dicitur, facilior eſt reſponſio, dicendum enim quod in hypotheſi qua difficultas recti, hoc eſt, libido & pudor comes ejus, eſſet eo quo dictum eſt modo, naturalis, creatura ſine dubio erubeſceret, non minus quam nunc; abſit ut de opere conditoris; ſed de vitio quo rectitudinem operis divini parentum culpa perverterit. Iam enim diximus non aliter cæcitatem & libidinem in hypotheſi Auguſtini dici naturales, niſi quia ſine culpa prolis; parentibus tamen corpus mortalitate, animum ignorantia ac libidine vitiantibus. Supponitur enim totam pœnam peccati perinde ut nunc, ſed ſine culpa tranſire, quam ſententiam poſtea quidam Pelagianiſmi ramus amplexus eſt. Lib. 4. ad Bonif. c. 4.
In qua ſententia pudor ille naturalis nullas anguſtias facit. Nam ſive culpa proles careat ſive polluta ſit, ſemper pudor non ex opere Dei, in genus humanum, ſed ex vitio peccatoris invehitur, quod pudorem non ſolum ipſi ſed etjam prolibus, vitium illud in corpore rebellante & in anima concupiſcente præferentibus

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

tibus facit, nihil enim uſitatius, quam ut pudenda parentum facta filijs, & filiorum parentibus infamiam ac pudorem creent, juxta illud ſapientis; *Confuſio patris eſt de filio indiſciplinato.* Et viciſſim: *Dedecus filij pater ſine honore.* Quod ſi generaliter verum eſſe probat experientia, quanto verius erit, quando ipſam probri paterni inhoneſtatem filij quoq; frontibus inuſtam gerunt?

Eccl. 22. Eccl. 3.

Ad illa quę pro ignorantia & concupiſcentia afferuntur, dicimus illa tunc habere inexcuſabiliter locum, quando ſic ſunt naturalia ut homo melior quam factus ſit eſſe non poſſit, hoc eſt, quando illi deeſt adjutorium gratiæ per quam ſolam & unicam, vitijs iſtis naturalibus homo & reſiſtere, & mederi poteſt. Hoc autem ſtatus ipſe purorum naturalium ſibi neceſſario conſertum habet. Gratiâ enim reſiſtendi & medendi penitus caret, nec alius omnino ullus ſupereſt ſeſe ab iſtis malis tuendi, multoque minus liberandi modus. Nam quod recentiores fingunt adjutoria reſiſtendi concupiſcentię & cæcitati naturalia, Deo non cælitus tenebras animi illuſtrante & frenante cupiditates, Philoſophiæ humanæ machinamenta ſunt, quæ Auguſtinus in Pelagianis doctrinæ Chriſtianæ ſoliditate contrivit. Nam apud illos ſimiliter decantatum illud erat, *hominem ſufficere ingenitis ſibi motibus dare leges:* hominem *ad aliquid laudabile generoſi cordis ſtimulis incitari.* Per quæ non aliud niſi moraliter bonos reſiſtendi conatus & virtutum actus hæreſis illa prædicabat. Sicut fuſe diverſis locis ex Auguſtino demonſtravimus. Nam hujuſmodi paradoxa Pelagiana ſemper ſuſtinuit Auguſtinus ex diverſis capitibus, quæ deduximus, non poſſe ſine doctrinæ Chriſtianæ læſione defendi. Si enim tunc potuiſſet concupiſcentia per auxilium naturalis ordinis frenari profecto poſſet & nunc, cum ſit ejuſdem conditionis roboris & firmitatis homo, cujus tunc erat. Poſſet igitur & nunc per naturæ vires naturalem legem ſervare; quod ut diximus & dicemus alibi latius, Catholicæ doctrinæ autoritate damnatum eſt. Nam auxilia naturalia ad ſervandam naturæ legem, & ad libidinibus reſiſtendum, ne in peccatum trahant, naturæ rationali debita ſunt, ergo neque nunc negarentur, quemadmodum concurſus naturalis ad bene vivendum nemini etjam Scholaſticis confitentibus, negatur. Hæc eſt ergo cauſa quod idem in illa ſua hypotheſi, qua ponit ignorantiam & difficultatem eſſe naturalia, ſollicite ſemper quærit adjutorium, quo ad non conſentiendum atque peccandum creatura muniatur. Cujus ei tanta cura eſt, ut alioquin eam, conſentiendo fœdiſſimis motibus, & irritamentis cupiditatum ſuarum, innoxiam futuram eſſe, prout & nos ſupra declaravimus, ſatis oſtendat. Hinc eſt enim quod ſimulatque ſibi murmura hominum de cæcitate ac difficultate ex parentibus tracta conquerentium objeciſſet; *Rectè*, inquit, *fortaſſe quærerentur ſi errorum & libidinum nullus hominum victor exiſteret. Cum vero ubique ſit præſens qui multis modis per creaturam ſibi Domino ſervientem averſum vocet, doceat credentem, conſoletur ſperantem, diligentem exhortetur, conantem adjuvet exaudiat deprecantem &c.* Et paulo poſt in ipſa hypotheſi de qua loquimur docet talem ignorantiam ac difficultatem non animis velut culpanda tribui debere, quia naturalia ſunt, nec etjam creatori; *Dedit enim*, inquit *ille & facultatem bene operandi in laborioſis officijs, & viam fidei in oblivionis cæcitate.* Et inferius ex illo capite culpam à creatore removet, ſi animæ alibi poſitæ corpora eligerent, ubi cæcitate & cupiditate gravarentur, quia auxilium ſe liberandi dedit: *Quandoquidem*, inquit, *etiam ſi eas animas ipſe miſiſſet, quibus etiam in ipſa ignorantia & difficultate liberam voluntatem petendi & quærendi & conandi non abſtulit, daturus petentibus, demonſtraturus quærentibus, pulſantibus aperturus; omnino extra culpam eſſet.* Hæc arbitror, lector, apertiſſimè demonſtrant, non alium afferre Auguſtinum creatoris excuſandi modum, quam quia multiplicem fidei, ſpei, dilectionis, orationis, adjutorij gratiam talibus animabus difficultate ac cæcitate prægravatis dedit, quibus illa vincerent, ut tandem victores ab omnibus terrenis vinculis expediti in æterna felicitate & felici æternitate triumpharent. Quæ omnia quia puræ naturæ ſtatum non modo deficiunt, ſed etjam funditus ſubvertunt, perſpicuum eſt, ea quę hic de difficultate & ignorantia naturalibus dicuntur, intactum prorſus eſſe ſinere quicquid ex Auguſtino ſupra protulimus, ut concupiſcentiam & ignorantiam in puræ naturæ ſtatu impoſſibilem eſſe doceremus. Procedunt enim ex hypotheſi, quod nullum ibi gratiæ auxilium adverſus illas pœnales malignitates, vel malignas pœnalitates creaturæ in promptu eſt; quod hic copioſe dari hypotheſis Auguſtini ponit. Tunc enim creatura prorſus & ignorando & concupiſcendo, & conſentiendo, & per omnes ſuas libidines volutando, non ſolum inculpabilis, ſed etjam eſſet bona: *Bonum eſt enim quod naturaliter libet* ſicut ab Auguſtino definitum eſt, *nec poteſt natura quæ bona eſt deſiderare quod malum eſt.* Qua de re alibi fuſius dictum eſt.

Lib. 5. imp. Jul. c. ... Lib. 4. c. 3.

Lib. 3. de lib. arb. c. 19.

Cap. 20.

In fine c. 20.

Lib. 5 contra Jul. c. 7.

CAPVT

# CAPVT XIX.

## Non convincit etiam afflictiones & miſerias ſine peccato hominibus imponi poſſe in ſtatu puræ naturæ neque majoribus, neque parvulis.

SED heus tu, inquies, quid iam pro tuenda juſtitia Dei in imponendo tot miſeriarum, non modo corporalium cruciatuum, ſed etjam ipſius moleſtiſſimę libidinis jugo? Hoc enim ſaltem Auguſtinus abſque ullo peccato imponi poſſe profitetur, quod ante toties negavimus.

Reſpondetur difficultas iſta, vel adverſus adultos, vel adverſus parvulos, urgeri poteſt. Quod ad adultos ſeu majores natu ratione utentes attinet, anguſtię non multum premunt. Facile enim reſpondetur majores ſine Dei injuſtitia talibus moleſtiis affligi poſſe ad promovendam propriam eorum utilitatem. Magnos enim & utiliſſimos fructus talium perpeſſio miſeriarum parit, ſive ut exerceantur in juſtitia, ſive ut profectum ſuum agnoſcant in dilectione juſtitiæ, ſive denique ut per malorum tolerantiam majoris gloriæ pręmium conſequantur. Hæc autem tria tam magna bona ſunt, ut merito contemni debeat, ſi etjam juſtus aliquid hujuſmodi pœnalium moleſtiarum ſine ſua culpa patiatur. Nam pro jactura bonorum naturalium ſive corporis ſive animi, ſive fortunarum, quas vocant, quæ miſeriæ & afflictiones vocari ſolent, fit ei compenſatio longe majoris boni. Non enim quiſquam ſanæ mentis dixerit injuſtè affligi hominem, cui quis obolum tollens, aureum redderet: vel cutem leviter ſtringendo, valetudinem graviter læſam reſtitueret, vel tantillum contriſtando, ſummum gaudium, vel animi ſapientiam largiretur. Ex qua regula miſeriam fratrum Ioſeph, Auguſtinus expendit, quos ille magna cum eorum perturbatione quamdiu voluit tenuit, & quanta voluit mora protraxit. Docet enim quod *non eos utique fecerit calamitoſos, quando tantæ etiam ipſorum futuræ lætitiæ exitum cogitabat, & totum hoc quod agebat, ut eorum gaudium differretur, ob hoc agebat, ut eadem dilatione cumularetur*: tanquam non eſſent condignæ paſſiones eorum in toto illo tempore quo turbabantur, ad futuram gloriam exultationis quæ in eis fuerat revelanda fratre cognito, quem à ſe perditum eſſe arbitrabantur. Itaque non diſſimili modo, majoribus hominibus quibus ratio viget, nulla injuria, ſed magnum beneficium fieret ſi propter fructus illos quos diximus aſſequendos, ſine ulla culpa ſua malis illis pœnalibus premerentur. Quos quidem fructus Auguſtinus ſub exercitatione juſtitiæ comprehendere ſolet, quando rationem reddit cur etjam juſti poſſint ſine culpa cruciari. Nam ad hanc doctrinam quam de majoribus dedimus, reſpicit quando dicit: *Quæ utique mala* A *ſub iuſto & omnipotente Deo non irrogarentur eius imagini, quibus malis in virtute exerceri infantilis ætas non poteſt dici, ſi nulla ex parentibus mala merita traherentur*. Et alibi manifeſtius: *Vos autem negantes originale peccatum, profecto aut cogimini dicere Deum vel invalidum, vel iniuſtum, ſub cuius poteſtate imago eius in parvulis ſine ullo vel proprij vel originalis peccati merito tantis affligitur malis; non enim per hæc exercetur virtus, quod recte de bonis hominibus maioribus dicitur, in quibus rationis eſt uſus*. Et ex profeſſo ad Hieronymum ſcribens: *Deus bonus eſt, Deus iuſtus eſt, Deus omnipotens eſt, hoc dubitare omnino dementis eſt. Tantorum ergo malorum quæ fiunt in parvulis cauſa iuſta dicatur. Nempe cum maiores iſta patiuntur ſolemus dicere, aut ſicut in Iob merita examinari, aut ſicut in Herode peccata puniri. Et de quibuſdam exemplis quæ Deus manifeſta eſſe voluit, alia quæ obſcura ſunt hominum coniectura conceditur: Sed hoc in maioribus. De parvulis autem quid reſpondeamus ediſſere, ſi paris tantis nulla in eis ſunt punienda peccata*. B *Nam utique nulla eſt in illis ætatibus examinanda iuſtitia.* Ex quo patet quod eodem reſpiciat, quando de parvulis contra Iulianum dicit: quod *ſub Deo creatore optimo atque iuſtiſſimo nullo modo imago eius in illa ætate tanta mala pateretur, ſi non eſſet originale peccatum*. Nam *illam ætatem nominans*, ſatis indicat ætatem in qua viget rationis uſus, etjam ſine peccato talibus poſſe affligi malis. Sed quemadmodum hæc juxta Auguſtini mentem recte de majoribus dicuntur, ita in parvulis arctius ſtringunt nodum. Cùm enim in eis nulla ſit examinanda vel exercenda juſtitia, ut iterum iterumque profitetur Auguſtinus, & tamen illis quoque ignorantiam ac difficultatem, omneſque corporis miſerias naturales eſſe poſſe fateatur, quomodo jam injuſtum erit illud grave mortalitatis jugum? Sin autem injuſtum, quomodo naturale, an ſibi contra Manichæos diſſerenti contrarius Auguſtinus contra Pelagianos, imperito peritus, C tyroni ſenex? Quomodo ergo in fine vitæ repetit, *quamvis ignorantia & difficultas etiamſi eſſent hominis primordia naturalia, nec ſic culpandus Deus, ſed laudandus eſſet, ſicut in eodem libro tertio diſputavimus*.

Arctat fateor magnopere me difficultas iſta ut niſi audacius aliquid aſſerendi ipſe Auguſtinus aperuiſſet viam, pæne ſuccumberem. Dico igitur revera illa duo eſſe cōtraria, ſenex enim adverſus Pelag. puræ naturæ architectos dimicans, id quod incautius de parvulis contra Manichæos fuderat, emendavit. Quod ſi nihil aliud omnino haberemus niſi doctrinam illam ſexcenties iteratam, juxta quam, velut

invictus

q. 146. in Geneſ.

Lib. 3. cont. Iul. c. 3.

Lib. 6. c[illegible]

Epiſt. [illegible]

Lib. [illegible]

Lib. 1. [illegible] tract. [illegible]

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

invictus omnibus Pelagianorum telis, ad mortem uſque defendit, Deum omnipotentem & juſtum nullo modo poſſe creaturam rationalem tot miſerijs quot ex puræ naturæ ſtatu fluere hæreſis Pelagiana decernebat, ſine culpa cruciare, ſatis eſſet intelligentibus, ut eum revocaſſe cenſeremus, quicquid quoquo modo adverſus alias hæreſes in contrarium diſputaſſet. Nunc verò benè habet quod ipſemet animadverterit hallucinationem ſuam, & infirmitatem doctrinæ præcedentis, Pelagianis jam exortis, redarguerit. Accipe confeſſionem ejus ingenuam ad Hieronymum. Nam propoſita illa ſentētia quæ ſingulas animas à Deo recentes condi & corporibus infundi ſtatuit, unaque ex eis fuerat, juxta quas ignorantiam & difficultatē docuerat eſſe poſſe naturalem, jam preſſus à Pelagianis, qui ſententiam illam arripuerant, ita præfatur: [*Epiſt. 28.*] *Sed cùm ad pœnas ventum eſt parvulorum, magnis mihi crede coarctor anguſtijs, nec quid reſpondeam prorſus invenio: Non ſolum eas pœnas dico, quas habet poſt hanc vitam illa damnatio, ſed eas ipſas quæ in hac vita dolentibus nobis verſantur ante oculos. Demōſtrandum eſt utique quomodo iſta ſine ulla ſua mala cauſa juſtè patiantur.* Nempe in illa ſententia jam ſupra dicta; in qua nunquam intelligere ipſe potuit, quo pacto anima rationalis non ex parentibus tracta, peccatum ex parentibus traheret, ac per hoc innocens tot miſerias, ut Pelagiani volebant, ſubire videretur. Et cùm multa quæ patiuntur hîc parvuli, mala cumulaſſet, profert illam ipſam ſuam adverſus Manichæos diſputationem de qua loquimur, ut diſquireret, utrum illa ſolutio quam tum dederat ſufficiens eſſet, dicendo ſcilicet eſſe iſtas miſerias naturales, nec eſſe propterea injuſtum Deum. [*Ibidem.*] *Ego quidem*, inquit, *non de ingenijs, ſed ſaltem de pœnis parvulorum, quas in hac vita patiuntur, dixi aliquid in libris illis de libero arbitrio, quod quale ſit, & cur mihi in iſta, quam habemus in manibus quæſtione non ſufficiat, intimabo & eum de tertio libro locum decerptum his litteris inſeram.* Hîc vides in primis Auguſtino non ſufficere ad tuendam in parvulorum innocentium pœnis juſtitiam Dei, quicquid contra Manichæos de malis naturaliter ſine ullo peccato adhærentibus, dixerat. Itaque decerpto toto illius libri loco, & in Epiſtolam illam tranſlato, ſubjicit ſe unam determinatam illarum quatuor ſententiarum de animæ incarnatione eligere nunc velle, & juxta illam defendere juſtitiam Dei in parvulorum pœnis, eo quod præcedens illa defenſio ſua non ſufficiat: [*Ibidem.*] *Nunc verò unam volo, ſi poſſum ratione rectâ eligere ex omnibus, & propterea hujus ipſius de qua nunc agimus* (quæ animā creari novam à Deo ſtatuit in ipſo corpore, ideoq; à paterno peccato eſſe quaſi innocentem) *defenſionem in his quæ commemoravi, de illo libro verbis meis attentius intuens, validam firmamq; non video.* Ecce perſpicuis verbis profitetur, defenſionem illius ſententiæ quam tunc adhibuerat ad oſtendendum qua juſtitia tales animæ parvulorum tot pœnis etiam in hac vita plecterentur, non eſſe validam neque firmam. Ratio verò tunc defendendi divinam juſtitiam talis fuerat, qualem ex ipſo paulò ante capite præcedenti ad eam in majorum pœnis tuendam adhibuimus, quod videlicet illa parvuli mala paterentur ad recipiendum in rebus altioribus atque divinioribus beneficium, ut quaſi intuitu futuræ compenſationis illa tolerarent. Audi ipſum conſequenter: [*Ibidem.*] *Nam velut firmamentum ejus illud eſt, quod ibi dixi*, in libris ſcilicet de libero arbitrio. *Quis autem novit quid parvulis in ſecreto judiciorum ſuorū bonæ compenſationis reſervet Deus? Quoniam quanquam nihil rectè fecerint, tamen nec peccantes aliquid iſta perpeſsi ſunt.* Quibus verbis ſatis apertè profitebatur etiam tunc, cùm illas pœnas naturales eſſe poſſe ſtatuebat hoc ipſum injuſtum fore, niſi aliquid compenſationis pro tot malis ſine culpa toleratis reſeruaret paruulis Deus.

Nunc vero, quia compenſatio iſta pauciſſimis caſibus exceptis commentitia eſt, etiam illam languidè & ex ſuſpicione potiùs quàm opinione ad compeſcendos tantummodo utcumque Manichæos propoſuerat, eamque propterea repudiat ſequentibus verbis: [*Ibidem.*] *Sed hoc non immerito dici video de his, qui vel pro Chriſti nomine ac verâ religione tale aliquid etiam neſcientes patiuntur, vel ſacramento Chriſti jam imbuti ſunt, quia ſine ſocietate unius mediatoris liberari à damnatione non poſſunt, ut poſsit eis etiam pro illis malis quæ hic in diverſis afflictionibus pertulerunt, compenſatio iſta præſtari. Nunc autem cum iſta quæſtio non poſſet abſolvi niſi etiam de his parvulis reſpondeatur, qui poſt graviſsimos cruciatus ſine ſacramento Chriſtianæ ſocietatis exſpirant, quæ circa eos compenſatio cogitanda eſt, quibus inſuper & damnatio præparata eſt?* Ecce rejecta & exploſa eſt etiam iſta miſeriarum compenſatio, quo unico firmamento miſerias illas naturaliter parvulis innocentibus, irrogari poſſe tunc quaſi ſuſpicando ſomniaverat. Nam ſuſpicionem ejus iſtam leviſſimam & inſtar ſomnij fuiſſe ſatis probat illa vacillantis animi & quoquo modo ſe juvare ſatagentis phraſis, *Quis novit quid parvulis reſervet?* &c.

Revera namque nemo iſtud vel doctorum vel indoctorum novit, non Auguſtinus, non Eccleſia. Quamvis enim illa parvulis pro Chriſto occiſis aliquid tribui vel retribui ſentiat, nunquam tamen docuit pro reliquis tam multis quas tolerāt miſeriis aliquid compenſationis vel illis, vel baptizatis, vel ſine baptiſmo decedentibus reſervari.

Qua de cauſa nunquam amplius hujuſmodi compenſationis parvulis reſervatæ meminit, ſed definitè, acriter, conſtanter adverſus Pelagianos ad mortem uſque defendit, injuſtum vel invalidum eſſe Deum, ſi parvulis tot mala, quot ipſi naturaliter eis obtingere ſentiebant, ſine culpa vel infligeret vel pati ſineret.

Quod ſi in iſto gratiæ ſtatu veriſſima iſta ſunt, quanto veriora atque certiora in eo qui

ſingitur puræ naturæ fuerint? Ibi enim Scholaſtici nullius unquam compenſationis meminere, nec verò meminiſſe poſſunt, niſi à principijs ſuis purę naturę baſibus recedere velint. Nam ex ipſa naturæ conditione ignorantiam, concupiſcentiam totumq; miſeriarum corporalium diriſſimum jugum parvulis & majoribus deberi putant, nullo reſpectu, exercendæ, examinandæ, promovendæque juſtitiæ, nullâ gloriæ cæleſtis adipiſcendæ conſideratione, nullo futuræ compenſationis intuitu. Quæ ſiquis ad ſtabiliendum puræ naturæ ſtatum admiſceri velit, cum tota machina principiorum ejus corruit, tum verò etiam fruſtra ſubſidium illud imploraverit. Nam ut latiſſimè ex Auguſtini principiis declaravimus, nulla juſtitiæ exercitatio, vel profectus, vel adeptio, vel præmij conſecutio, ſine Dei gratia liberum arbitrium primitus à cæcitate & concupiſcentiæ vinculis liberante, & vires deinceps dante ſperari poteſt.

## CAPUT XX.

### Oſtenditur quomodo Deus non eſſet culpandus ſi ignorantia & difficultas eſſent primordia naturalia, & ſolvitur difficultas propoſita capite decimo-ſeptimo.

Lib. 2. retract. c. 9.

NEc huic ſolutioni contraria ſunt illa verba S. Aug. quę ex 1. Retractationũ ſupra in objectione citavimus. *Quamvis ignorãtia & difficultas, etiamſi eſſent hominis primordia naturalia, Nec ſic culpandus Deus ſed laudãdus eſſet ſicut in eodem l. 3. diſputavimus.* Non enim illa verba ſignificant Deum juſtum fore ſi parvuli tanta mala ſine cauſa mala paterentur, ſed ſignificant, Deũ etiam illo caſu poſito in peccatis creaturæ ſuæ culpari non poſſe, ſed adhuc meritò debere laudari, Manichæi quippè, cum quibus in libris de libero arbitrio dimicabat, ut cauſam malorum redderent, purgabant creaturam ut quę purâ neceſſitate peccare cogeretur, & accuſabant Deum, cujus natura permixta genti tenebrarum omnibus fœdaretur ac violaretur malis quæ peccando perpetrantur. Hanc inſaniam in illa diſputatione ſubvertere conatur oſtendendo etiamſi ignorantia & difficultas eſſent primordia naturalia, in quacunque quatuor illarum de animæ incarnatione ſententiarum, quas ante commemoravimus, inculpabilem tamen ſubſtantiam remanere Creatoris in peccatis creaturæ, ut quę adhuc ſola jure meritoq; culparetur Quod Auguſtinus ipſe in eadem illa Epiſt. ad Hier. apertè docet. Simul enim diſputationem illam ſuam ad tuendam juſtitiam Dei vincendoſq; Pelagianos non ſatis firmam eſſe profitetur, ad ſuperandos verò Manichæos Dei naturam in creaturę peccatis violantes, eſſe firmiſſimã.

Epiſt. 28.

Cùm enim citaſſet totum prioris diſputationis locum, ut eum recenſendo corrigeret; *Hæc tunc dixi,* inquit, *cùm hanc ipſam de qua nunc agitur, vellem communire ſententiam. Sicut enim paulò ante commemoravi, quæcunq; illarum de animæ incarnatione quatuor opinionũ vera eſſet,* INCULPATAM SUBSTANTIAM CREATORIS, ET A NOSTRORUM *peccatorum* SOCIETATE REMOTISSIMAM *nitebar oſtendere. Et ideo quæcunque illarum veritate poſſet convinci & repudiari ad curam intentionis meæ, quam tunc habebam, non pertinebat: quandoquidem cunctis diligentiore diſputatione diſcuſſis, quæcunque illarum rectè vinceret cæteras, me ſecuriſsimo fieret, quando etiam ſecundum omnes id quod agebam, invictum perſiſtere demonſtrabam. Nunc verò unam volo, ſi poſſum ratione rectâ eligere ex omnibus: & propterea hujus ipſius de qua nunc agimus, defenſionem in his quæ commemoravi de illo libro verbis meis attentius intuens* VALIDAM FIRMAMQUE NON VIDEO. Nempe propter pœnas parvulorum innocentium, ut illa ſententia ſupponebat, quæ defenſionem ejus falſam eſſe convincunt. Ecce utrumque ſimul optimè conſiſtere docet, ut quamvis vera eſſet illa ſententia de animæ incarnatione, juxta quam miſeriæ parvulorum non eſſent ſupplicia, ſed primordia naturæ, vincantur tamen Manichæi, & tamen hæc ipſa ſententia ex illis parvulorum innocentiũ pœnis falſa eſſe monſtretur. Et hæc eſt ratio cur quotieſcunq; diſputationis illius contra Manichæos ſuſceptæ meminit, nunquam dicat, ſe ſufficienter defendiſſe juſtitiam Dei in illarum inflictione pœnarum, ſicut contra Pelagianos neceſſitas poſtulabat, ſed ſemper, ſe in illa ſententia viciſſe Manichæos qui tam deteſtabilia de divinæ ſubſtantiæ genti tenebrarum permixtæ violatione ac pollutione delirabant. Nam hoc eſt quod ſibi vult in libro de dono perſeverantiæ, ubi eandem diſputationem contra auctorem ſuum Pelagiani retorquebant Nam cùm moviſſet ſe contra Manichæos tunc diſputaſſe ſubnectit: *Et poteram ſicut feci, quodlibet horum verum eſſet, quæ non definitè interponebam, certâ tamen ratione concludere, in omnibus Deum eſſe laudandum ſine ulla neceſſitate credendi duas, ſicut illi volunt, coæternas boni & mali permixtas eſſe ſubſtantias.* Et infra iterum: *Quamvis ergo in libro 3. de libero arbitrio ita de parvulis diſputaverim, ut etiamſi verum eſſet quod dicunt Pelagiani, ignorantiam & difficultatem ſine quibus nullus homo naſcitur, primordia non ſupplicia eſſe naturæ, vincerentur tamen Manichæi, qui volunt duas boni ſcilicet & mali coæternas eſſe naturas; Numquid ideo fides in dubium vocanda vel deſerenda eſt, quam contra ipſos Pelagianos Catholica defendit Eccleſia quæ aſſerit originale eſſe peccatum?* Cujus videlicet iſtæ miſeriæ, ſunt

Lib. de bo. perſev. c..

ſuppli-

ſupplicia. Nam ut ſupra ſæpè vidimus, ex ſolis hujuſmodi miſerijs Iulianum atque Pelagianos ad confitendam vel injuſtitiam Dei, vel peccatum originale compellit. Et nonnullis interpoſitis iterum: *Contra quos mea dirigebatur intentio, ſic mihi viſi ſunt refellendi, ut ſive pœna eſſet peccati originalis in parvulis, quod veritas habet, ſive non eſſet, quod nonnulli errantes opinantur, nullo modo tamen, quam Manichæorum error inducit, duarum naturarum boni ſcilicet & mali permixtio crederetur.* Hanc ipſam igitur ſolutionem reſpicit in eodem eo loco ex libro retractationum primo, qui nobis objicitur: Cùm enim dixiſſet; *Quamvis ignorantia & difficultas etiamſi eſſent hominis primordia naturalia, nec ſic culpandus Deus ſed laudandus eſſet, ſicut in eodem tertio libro diſputavimus*, ſtatim adjicit quaſi clavem datæ ſolutionis indicans: *Quæ diſputatio contra Manichæos habenda eſt, qui non accipiunt Scripturas ſanctas veteris teſtamenti in quibus originale peccatum narratur &c. Contra Pelagianos autem hoc defendendum eſt quod utraque ſcriptura commendat, quam ſe accipere profitentur.*

Cap. 11.

Lib. 1. retract. c. 9.

Ex his perſpicuum eſt Auguſtinum refelliſſe Manichæos ex hypotheſi ad hominem, eâque falsâ & impoſſibili, ſed quæ ſufficeret ad eorum inſanias revincendas. Sic enim ex hujuſmodi falſa hypotheſi refutavit etiam Pelagianos, ſicut in eodē libro de perſeverantia ipſemet commemorat. *Sicut autem nunc*, inquit, *ut oſtenderem gratiam Dei non ſecundum merita noſtra dari, ſecundum utrumq; ſenſum hoc defendere malui, & ſecundum noſtram ſcilicet, qui obſtrictos originali peccato parvulos dicimus, & ſecundum Pelagianorum, qui originale negant eſſe peccatum, nec tamen ideo mihi eſt ambigendum habere parvulos quod eis donetur qui ſalvum facit populum ſuum à peccatis eorum: ita & in tertio libro de libero arbitrio ſecundum utrumque ſenſum reſtiti Manichæis, ſive ſupplicia, ſive primordia ſint ignorantia & difficultas ſine quibus nullus hominum naſcitur: & tamen unum horum teneo.* Hoc contentem perſpicuè Auguſtinum, quod ex falſa hypotheſi Manichæos confutaverit: quam alijs plurimis locis, ſicut ſupra tam fusè vidimus, non modo falſam, ſed etiam impoſſibilem profeſſus eſt, quatenus toties inſtanter docuit, divinæ juſtitiæ eſſe contrarium id quod Iulianus, totaque hæreſis Pelagiana ſtatuebat, graviſſimo videlicet miſeriarum jugo parvulos ſine ullo peccati merito, velut in puræ naturæ ſtatu premi. Nihil enim vetat verum ex falſo etiam & impoſſibili trahere. Impoſſibilis enim

Lib. de bono perſev. c. 11.

A hypotheſis eſt ut peccator in peccato ſuo rectè defendatur: Et tamen inde verum ſequitur, Deum eſſe laudandum juxta illud Auguſtini contra Manichæos: *Reſtat ut propriâ voluntate peccetur, quod ſi tribuere volueris conditori peccantem purgabis, qui nihil præter ſui conditoris inſtituta commiſit. Qui ſi rectè defenditur, non peccavit. Non eſt ergo quod tribuas conditori.* Hypotheſis impoſſibilis eſt *ut diabolus homines creaverit*: ex qua tamen rectè ſequitur ſicut Iulianus inferebat, quod *nulla ſua culpa mali eſſent homines, & ideo iam nec mali eſſent.* Et illo argumento convinci ſolitos à Catholicis Manichæos teſtis Auguſtinus eſt; *ſolemus & nos adverſus Manichæos iſta dicere.* Hypotheſis itaque ſimiliter impoſſibilis eſt, ut ignorantia & mala libidinum diverſarum deſideria ſint naturalia, & homini à Deo conditore primitus data. Ex qua tamen rectè ſequitur, eis licitè poſſe B conſentiri, fatente Auguſtino cùm dicit: *Bonum eſſe quod naturaliter libet: Naturam bonam non poſſe deſiderare quod malum eſt: non eſſe negandum bonæ, aliquod bonum.* Ex qua rectè conſequenter ſequitur, quicquid ex illa ignorantia ac deſiderijs naturalibus appetitur, ſine ullo peccato in pura natura poſſe perpetrari fatente eodem Auguſtino: *Nam ſi non eſt iſta pœna hominis ſed natura, nulla iſta peccata ſunt. Si enim non receditur ab eo modo quo naturaliter factus eſt, ita ut melius eſſe non poſſit ea qua debet facit, cùm hæc facit.* Neminem enim melius eſſe poſſe, vel neminem ignorantiâ aut concupiſcentiâ, aut moleſtijs pœnalibus benè uti ſine gratia, quæ puræ naturæ ſtatum prorſus deficit, in Aug. primum principium eſt, ut & ſupra diximus, & infra fortè iterum dicturi ſumus. Ex qua denique hypotheſi ſimiliter rectè ſequitur, Deum in iſtis naturæ primordiis adhuc eſſe laudandum; Dei naturam non eſſe mixtam cum gente tenebrarum, Deum à creaturæ ſic conditæ peccatis eſſe remotiſſimum, quę Aug. contra Manichæos in iſta ſuppoſitione ſpectabat. Si enim tunc in illa hypotheſi peccat creatura laudemus Creatorē quia non peccat niſi dum ab inſtituto ſui Creatoris abſcedit: ſi verò non peccat, laudemus Creatorem quia nihil præter Creatoris inſtituta cōmittit, ſed utrum talis hypotheſis ex alijs capitibus, ſive divinæ juſtitiæ, ſive providentiæ, ſive alijs ſit poſſibilis an impoſſibilis alia quæſtio eſt: quæ contra Pelagianos illam tanquam veram arripientes poſtea liquidiſſimè ab Auguſtino ſicut explicuimus certiſſimèque definita eſt.

Lib. 3 de lib. arb. cap. 17.

Lib. 3. cont. Iul. cap. 12.

Lib. 5. cont. Iul. cap. 7.

Lib. 3. de lib. arb. cap. 18.

## CAPVT XXI.

### Diruitur fundamentum Scholaſticorum ex abſoluto Dei dominio ſuper creaturam petitum.

SED Scholaſticos potiſſimum tranſverſos egit illa dominij ſupremi conſideratio, quo Deus tanquam creator, Dominus eſt abſolutus hominum totiuſque creaturæ: ex quo colligunt eum de hominibus & Angelis, tanquam de re ſua li- A berrimè diſponere poſſe, eoſq; ſine ulla culpa & injuſtitia malis afficere, affligere, cruciare, damnare. Sed reſpondeo conſecutionem eſſe fallacem. Ius enim creationis efficit ut creatura quæcunque rationalis ſit atq; dicatur eſſe Dei, eſſe in dominio ejus, juriſdi-

ctione atque poteſtate. Ex quo naſcitur ut ei non ſolum poſſit benefacere, quod cuilibet in externos licet, ſed etiam legibus ſuis ac præceptis regere, benefacientē remunerare, peccantem coercere, juſtiſque ſupplicijs recto ordine, ſine ulla ſua iniquitate punire. Quæ quidem talia ſunt, ut ſi Deum quantumcunq; magnæ deitatis, & poteſtatis, & majeſtatis ac dominationis eſſe fingeremus, hoc ipſo tamen quo non eſſet Creator ac Dominus creaturæ rationalis nunquam eorum quæ diximus quicquam in eam exercere jure ſineretur. Injuſtum eſt enim in alienos jus vindicandi ſumere. Itaque Auguſtinus probaturus nos à Deo conditos eſſe, *hoc quoque*, inquit, *non aliunde video eſſe manifeſtum, niſi quod iam conſtat Deum vindicare peccata. Siquidem ab illo eſt omnis iuſtitia. Non enim ut alicuius eſt bonitatis alienis præſtare beneficia, ita iuſtitiæ vindicare in alienos. Vnde manifeſtum eſt ad eum nos pertinere, qui non ſolum in nos benigniſſimus in præſtando, ſed etiam iuſtiſſimus in vindicando eſt.* Ex quo capite non ſemel redarguit eos Auguſtinus, qui in non ſibi ſubjectos, jus vindicandi aut delicta puniendi arripere voluerunt. Nam de Moyſis homicidio, *Conſultâ illâ æternâ lege, reperio non debuiſſe hominem ab illo, qui nullam ordinatam poteſtatem gerebat, quamvis iniurioſum & improbum occidi.* Quam regulam & ad Petri facinus Malchi auriculam præcidentis extendit. Omnis enim punitio, vindicatio, correctio violenta peccatorum, qui nullâ nobis lege ſubduntur, hoc ipſo meritò tanquam injuſta reprehenditur: *Culpantur enim*, ut Auguſtinus, etiam illi *qui prohibent à malo, ſi modum peccati modus coercitionis excedat. Item iure culpandi ſunt qui turbide atque inordinatè in eos coercendos inſiliunt, qui nulla ſibi lege ſubiecti ſunt.* Quamobrem cives ſuos Hypponenſes pro concione duos modos coercendi peccata docens, *Quibus*, inquit, *poteſtis ſuadete, & in quos poteſtatem habetis, ſeveritatem adhibere.* Ex illo igitur abſoluto dominio Dei rectiſſimè colligas Deum creaturis rationalibus omnibus poſſe non modo præſtare beneficium, ſed etiam pro peccatis inferre ſupplicium: ſine ulla verò culpa quibuſvis afflictionibus poſſe cruciare nullo pacto. Dominium enim dat poteſtatem Domino utendi rebus ſuis in quemvis uſum lege non vetitū. Lex autem ipſius Dei non poſitivâ voluntate ſed æternâ legis veritate ſancita, nullo pacto ſinit, ut creaturam ſine ulla culpa faciat miſeram; hoc enim non eſt Domini ſed tyranni: non Creatoris ſed perditoris, non æquitatis ſed crudelitatis. Ex quo fit ut hoc tam impoſſibile ſit quam Deum non eſſe Deum. Quamvis enim quarumlibet miſeriarum inflictio non ſuperet poteſtatem Dei, nec excedat dominium ejus, poſſet enim certis in circunſtantijs, quæ accidere poſſunt, quibuſlibet afflictionibus quamlibet creaturam rationalem premere; æquitas tamen incorrupta judicis cohibet poteſtatem Domini. Et quid æquitas, quid veritas, quid juſtitia eſt, niſi Deus? *Non enim*, ut optimè dixit Auguſt. *tibi fingere*

Lib. 2. de lib. arb. c. 1.

Lib. 22. contra Fauſt. cap. 70.

Lib. de unitate Eccleſ. cap. 20.

Serm. 111. de diverſ. c. 21.

Serm. 17. de verb. Apoſt.

A *debes Deum quaſi idolum* vel quaſi hominem qui volaticâ cogitatione, quicquid ſpectatâ nuda poteſtate poſſe fingitur, hoc etiam ſubinde velle poſſe cogitatur; vel quaſi hominem quantumcumq; iuſtum, ſed ſicut ipſam inflexibilem regulam æquitatis. Nunquam autem in æternum æquum aut juſtum, hoc eſt æquitas aut juſtitia eſſe poteſt, ut innocens creatura rationalis ſine ulla culpa damnetur, ideoque nec in æternum voluntas Dei, hoc eſt, voluntas ipſius juſtitiæ hoc expetere aut facere poteſt: *Nihil enim*, ut benè Auguſtinus, *dicimus eſſe iuſtitiam niſi æquitatem: æquitas autem ab æqualitate quâdam videtur appellata. Sed quæ in hac virtute*, juſtitiæ, *æquitas niſi ut ſua cuique tribuantur?* Vbi autem, quomodo, quando deberi poterit miſeria innocenti, qualiſcunque quantacunque dominatoris poteſtate fingatur infligi? Cùm lex æterna ſit, quod

B ſæpè cum Auguſtino monere cogimur, *qua iuſtum eſt ut omnia ſint ordinatiſſima*? Nec in æternum *ulla vis, ullus caſus, ulla rerum labes effecerit, ut iuſtum non ſit omnia eſſe ordinatiſſima*? Cùm nulla quamvis delira cogitatio ſibi perſuadere queat ordinatiſſimum eſſe ut boni, hoc eſt, ut innocentes ſine ulla culpa miſeri fiant? Cùm Auguſtinus è contrario clamet, *quid illa lex quæ ſumma ratio nominatur cui ſemper obtemperandum eſt, per quam mali miſeriam boni autem beatam vitam merentur. Poteſtne cuipiam intelligenti non incommutabilis æternaq; videri? An poteſt aliquando iniuſtum eſſe ut mali miſeri, boni autem beati ſint?* Quo ſi ſempiternâ juſtitiæ lege boni beatam vitam merentur, quæcunque illa beatitudo ſit, ſi eadem juſtitiæ lege juſtum eſt, ut beati ſint, impoſſibile eſt juſtum eſſe ut ſint miſeri, multoque impoſſibilius ut ipſa lex juſtitiæ eos miſeros faciat vel miſeros eſſe patiatur.

Hoc enim fallit ratiocinantes quod creatu-

C ram tantummodo creaturam, Deumque tantum Dominum cogitant. Nam illam quoque rationalem, Deumque juſtum eſſe meminiſſe decet. Hoc ipſo quippe quo rationalis creatura eſt, cum ſumma ratione quæ eſt ipſa lex juſtitiæ, ordinem peculiarem qui ceteras omnes creaturas deficit, intimamque & quaſi eſſentialem conjunctionē habet: ratione cujus fit, ut præter providentiam illam ceteris communem creaturis, qua conſervantur, mutantur, intereunt, prout ordini univerſitatis expedit, longè ſublimiori providentiæ adminiſtratione gubernetur, per præcepta atque conſilia, non poſitiva tantum ſed æterna quoque medullitus viſceribus impreſſa creaturæ, per compenſationes præmiorum atq; pœnarum. Quod providentiæ genus non ordinatione poſitivâ divinæ voluntatis aſſumptum eſt, ſed ex æternæ legis fonte attenta natura talis creaturę proficiſcitur. Natura enim ipſius

D eſt paſci veritate atque iuſtitia, ipſamq; æternam legem mentis acie conſpicere, ut quid juſtum, quid injuſtum ſit in ipſis divini ſecreti regulis legat. Hoc ipſo igitur quo Deus talem creaturam condidit, eam per ejuſdem ju-

ſtitiæ

Lib. de quantitate animæ c. 9.

Lib. 1. de lib. arb.

Lib. 1. de lib. arb.

ſtitiæ ſuæ regulas quas intuetur, adminiſtrare debet, nec aliter, niſi ſeipſum violando poteſt.

A

Illæ namque in perpetuum clamant, verum ordinatumque gubernandæ creaturæ rationalis modum non eſſe alium, quàm ut illa quæ impreſſas conſpectaſque juſtitiæ regulas contemnit aut diligit, ex iiſdem juſtitiæ regulis miſera aut beata fiat. Cùm enim ipſe ſit juſtitia, in quo tandem juſtitiam exhibebit aut monſtrabit, niſi rationalem gubernando creaturam, nec enim erga ſeipſum vel creaturam irrationalem juſtitia locum habet, quam propterea ſine ulla culpa quibuſlibet malis affligere poteſt. Vt enim culpæ ita & miſeriæ & beatitudinis incapax eſt. Vidit hæc Auguſtinus, & notavit quando ſcrutatus cauſas miſeriæ parvulorum ſi ſine peccato ſuo tanta paterentur: *Numquidnam ſicut illa animalia irrationabilia rectè dicimus in uſus dari naturis excellentioribus etſi vitioſis, ſicut apertiſſimè in Euangelio videmus porcos ad uſum deſideratum conceſſos eſſe dæmonibus, hoc & de homine rectè poſſumus dicere? Anima eſt rationalis in illis membris quæ tantis afflictionibus pœnas luit. Deus bonus eſt, Deus juſtus eſt, Deus omnipotens eſt, hoc dubitare omninò dementis eſt. Tantorum ergò malorum cauſa juſta dicatur.* Quaſi aperiſſimè diceret; non poteſt ſine Dei juſtitia vel impotentia rationalis anima ſine peccato tot afflictionibus quas videmus pœnas luere.

Aug. lib. de pecc. orig. cap. 14.

Epiſt. 18.

B

Hic ergò æternæ & immutabilis legis ordo vera radix eſt, illius ineffabilis æquitatis, quæ per aſſiduam diſtributionem præmiorum atq; pœnarum in adminiſtratione creaturæ rationalis apparet. Nam omnes actus ejus tam indivulsè ſequitur divina juſtitia, ut nec unus quidem quantumcunque exiguus aut momentaneus, inveniri poſſit cui non confeſtim, quod meretur illa retribuat, ut quia lex æterna clamat juſtum eſſe ut omnia ſint ordinatiſſima, nihil inordinatum vel ad momentum in adminiſtrationem univerſitatis & creaturæ rationalis incurrat. Nam inde ſunt illa in ſcriptis Auguſtini frequentiſſima: *Nihil fit viſibiliter & ſenſibiliter quod non de interiori inviſibili atque intelligibili aula ſummi Imperatoris aut jubeatur aut permittatur ſecundum ineffabilem juſtitiam præmiorum atque pœnarum, gratiarum & retributionum, in iſta totius creaturæ ampliſſima quadam immenſaque republica.* Et in libro octoginta trium quæſtionum: *Omnia hæc divina providentia pro meritis moderatur animarum.* Et iterum: *Ita etiam cetera creatura pro meritis animarum rationalium, vel ſentitur vel latet, vel moleſta, vel commoda eſt. Summo enim Deo cuncta bene adminiſtrante quæ fecit, nihil inordinatum in univerſo, nihilque injuſtum eſt; ſive ſcientibus ſive neſcientibus nobis.* Et quæſtionibus ad Simplicianum dicit ſanctos *Angelos id quod in Deo* SEMPITERNE IVSTVM *vident pro congruentia rerum inferiorum temporaliter peragere.* Et in Pſalmos: *Qui videt merita animarum ſic ordinari à Deo, ut dum ſua cuique tribuuntur, pulchritudo univerſitatis nulla ex parte violetur, in omnibus laudat Deum.* Nam, ut paulò poſt addit:

C

Lib. 3. de Trin. c. 4.

Lib. 83. qq. q. 27.

Lib. 2. ad Simplician. q. ult.

In Pſal. 7.

D

*Præmiis & ſuppliciis univerſa creatura quam Deus à ſe conditam regit, mirificâ & paucis cognita pulchritudine decoratur.* Et in libro de quantitate animæ: *Deus ſummus & verus lege inviolabili & incorrupta, qua omne quod condidit regit, ſubjicit animæ corpus, animam ſibi, & ſic omnia ſibi, neque in ullo actu eandem deſerit, ſive pœna ſive præmio. Id enim judicavit eſſe pulcherrimum, ut eſſet quicquid eſt, quomodo eſt; & ita naturæ gradibus ornaretur, ut conſiderantem univerſitatem, nulla offenderet ex ulla parte deformitas: omniſque animæ pœna, & omne præmium conferret ſemper aliquid proportioni juſtæ pulchritudinis diſpoſitionique rerum omnium.* Et in libris de libero arbitrio: *Nullo temporis intervallo iſta dividuntur, ut quaſi alio tempore non faciat anima quod debet, & alio patiatur quod non debet, ne vel puncto temporis univerſalis pulchritudo turpetur, ut ſit in ea peccati dedecus ſine decore vindictæ.* Hanc ineffabilem & immobilem pulchritudinem adminiſtrationis univerſi ex æternæ legis ordine profluentem non attendunt neque conſiderant uti decet, qui in ſola divina poteſtate languentes & hærentes, turpiſſimas illas labes in ejus providentiam cadere poſſe ſomniant, ut vel peccati dedecus ſine decore vindictæ ſit, vel impios beatos, vel innocentes miſeros eſſe poſſe, vel (quod Auguſtinus inordinatiſſimum, abſurdiſſimum, & à juſtitia Dei penitus alienũ, & blaſphemum vocat) ut beatos omnes nemine excepto ad æternas pœnas inferni ſolâ Dei voluntate deturbari poſſe delirent. Contra hujuſmodi mentis aberrationes, ſolus ille luculentiſſimus Scripturæ locus, leviter ſupra ſtrictus, ſatis eſſe poteſt, quem omnis Auguſtini doctrina velut æternæ legis oraculum non poſitivæ liberæque voluntatis decretum explicat & ſupponit: *Cùm ergò ſis juſtus, juſtè omnia diſponis.*

Lib. de quan. animæ c. 36.

Lib. 3. de lib. arb. c. 15.

Sap. 12. v. 15.

Sed Deus abſolutus ominum Dominus eſt inquies, illimitatæ proinde poteſtatis, ut creaturas affligat & condemnet, ſicut viſum fuerit. Reſpondet tibi pro Deo ſapiens: *Ipſum quoque qui non debet puniri, condemnare exterum æſtimas à tua virtute,* Græcè ἀλλότριον τῆς σῆς δυνάμεως, alienum à tua poteſtate. Et quaſi Spiritu ſancto inſpiratus, argumentum Scholaſticorum prævidiſſet, tyrannidis illius labem etiam ratione, à Deo ſubmovens, *virtus,* ἰσχὺς fortitudo *enim tua juſtitiæ initium eſt,* quaſi diceret, cùm in aliis *fortitudo* ſit *lex juſtitiæ*, hoc eſt, initium injuſtitiæ, ut quicquid poſſint etiam continuo juſtum putent: in te vice verſâ poteſtas maxima eſt initium ἀρχὴ principium juſtitiæ, nihil omninò erga ullam creaturam rationalem exequens, quod non juſtitia tua ineffabiliter imperet ac moderetur. Alii virtutem ſeu dominii ſui poteſtatem in innocentes oſtentare ſolent, tu in impios, incredulos tuæ poteſtatis tibique contumaces, *Virtutem* ἰσχὺν *enim oſtendis tu, qui non crederis eſſe in virtute* δυνάμεως *conſummatus, & horum qui te neſciunt audaciam traducis.* Alii præ magnitudine poteſtatis impotentes animo fiunt, ut non dominantes poteſtati ſuæ iniqua judicent atque faciant: *Tu autem dominator virtutis* ἰσχύος roboris tui, *cum tran-*

Verſ. 16.

Verſ. 17.

Verſ. 18.

*cum tranquillitate & nimia æquitate iudicas, & cum magna reverentia diſponis nos. Subeſt enim tibi cùm volueris poſſe.* Iudicet quæſo Lector utri potius credendum ſit, an ei qui dicit Deum æſtimare, quod condemnare juſtum ſit exterum & alienum à ſua poteſtate, an eis qui dicunt, eſſe poteſtati ejus congruum, ut juſti omnes ad æterna ſupplicia deturbentur? An ei qui profitetur fortitudinem Dei eſſe initium juſtitiæ, an illis qui contra clamant fortitudinem ejus initium eſſe poſſe tam enormis injuſtitiæ?

Quod ſi Scriptura ſobriè conſiderata, ſi ratio perſpicua, ſi lex æterna, ſi S. Auguſtini doctrina conſtantiſſima, per quem Eccleſia de hæreſi Pelagiana, & commentitia puræ naturæ machina triumphavit, apertè profitentur juſtorum damnationem ad æternas pœnas injuſtam planè tyrannidem Deoq; indignam eſſe crudelitatem, profectò non minus perſpicuè probant Deum quantumvis abſolutæ poteſtatis, vitęque & mortis dominus ſit creaturæ rationalis, nullam omninò pœnam quantumvis exiguam ſine injuſtitia inferre poſſe innocenti. Non enim damnatio juſti repugnat Deo, quia damnatio eſt, ſed quia eſt innocentis afflictio. Innocenti enim nihil omninò debetur mali. Quo fit, ut non minus exigua, quàm magna pœna repugnet innocentiæ ideoque juſtitiæ. Cùm enim iuſtitia ſit æquitas ſeu æqualitas, manifeſte inæqualitatem & per hoc iniquitatem efficit, ſi aliquid inferatur mali cui nihil inferri debet. Et hæc eſt cauſa cur Auguſtinus, non minus leviſſimas, quàm graviſſimas pœnas innocentibus infligendas à divina poteſtatate & æquitate ſubmoveat. Cujus veritatis hic illic inter cetera, prout locus tulit, teſtimonia non pauca dedimus. Ut illud contra Iulianum: *Porrò autem ſi quod huic ſufficit cauſæ, parvam ſaltem pœnam fatemini eſſe ut &c. obſecro aperite qualeſcunque oculos, & videte qua iuſtitia infligenda ſit parvulo, quem clauſis oculis originali obnoxium negatis peccato?* Hoc eſt, quem in puris naturalibus natum conſtituitis. Et illud generale contra eundem: *Propter quid ergò affliguntur parvuli ſi nullum habent omninò peccatum? An omnipotens & iuſtus Deus, iniuſtas pœnas à tot innocentibus prohibere non potuit?* Et illud generaliſſimum: *Neminem ſinit aliquid perpeti, quod non meretur.* Nam ſi quemadmodum hæreſis Pelagiana ſtatuebat, parvuli in pura natura nati nullo peccato tenerentur obnoxii, nulli quoque, ut alibi diſertiſſimè dicit, *mali parvuli obſtricti. nihil mali vel in corpore, vel in anima, ſub tanta iuſti Dei poteſtate paterentur.* Nimirum impoſſibilitas damnationis innocentium ad æternas pœnas & ad quoſcunque etiam leviſſimæ afflictionis cruciatus ex eadem illa radice proficiſcitur, quam in ipſo Deo quantumvis abſoluto domino vitæque & mortis autore ſexcenties tangit Auguſtinus: *Ira quippe*, hoc eſt punitio, cruciatus, afflictio, malum, miſeria, *non redditur niſi debita, ne ſit iniquitas apud Deum.*

# CAPVT XXII.

## Solvitur difficultas ex Bulla duorum Pontificum.

SVPEREST objectio quæ ex Bulla duorum Pontificum ſumitur. Nam ibi damnatur iſte articulus, *Deus non potuiſſet talem ab initio creare hominem qualis nunc naſcitur.* Nunc autem naſcitur cum ignorantia, concupiſcentia, mortis & omnium earum quas experimur miſeriarum neceſſitate; ergò ab initio nullo peccato præcedente talem Deus creare potuiſſet. Non igitur hoc repugnat juſtitiæ Dei.

Reſpondetur, tota vis hujus argumenti ex Apoſtolicæ Sedis autoritate petitur, quæ Catholicis omnibus tanquam obedientiæ filijs veneranda eſt. Sicut ergò ipſi nobis verendum putant; ne doctrinam iſtam velut Auguſtini aſſerendo, in duorum Pontificum decretum ipſe impegiſſe videatur; ita multo magis adverſarijs formidandum eſt, ne eam negando, Sedem Apoſtolicam longè prȩſentius & periculoſius in ſeptem Pontificibus lædant. Nam poſtquam Sedes Apoſtolica per novem partim doctiſſimos, partim ſanctiſſimos Pontifices ſuos, Innocentium, Zozymum, Bonifacium, Sixtum, Celeſtinum, Leonem, Gelaſium, Hormiſdam, Ioannem II. divi Auguſtini tanquam *magiſtri optimi* cœleſtem doctrinam adverſus Pelagianam hæreſim imploravit, probavit, laudavit, & ita ſuam fecit, ut de fide fluctuantes ad ejus ſcripta mitteret, ex quibus diſcerent *quid Catholica ſequatur & aſſeveret Eccleſia.* Et *eius doctrinam ſecundum prædeceſſorum Pontificum ſtatuta, Romanam Eccleſiam ſequi & probare* profiteretur, profectò nefas eſt, totius doctrinæ contra Pelagianos exaratæ baſes in controverſiam revocare. Hoc enim nihil eſt aliud quàm Pelagianos cineres ſuſcitare redivivos, Eccleſiæ victoriam redarguere, tot ſanctos Pontifices temerariæ credulitatis & ignorantiæ condemnare, fidem denique ipſam ejus eruditione ſtabilitam, novitate concutere. Quid enim univerſa ſancti Doctoris volumina ſpirant vehementius, quid ſæpius, quid denſius, quid ſecurius, quàm Pelagianam hæreſim, dum parvulos ſine virtute & vitio cum tota mortis miſeriarum neceſſitate in ſtatu purȩ naturȩ conditos comminiſcitur, injuſtum vel impotentem facere Deum? Quid inculcant acrius, quid majori autoritate frequentius repetunt, quam pudendam concupiſcentiam ex Apoſtolica doctrina eſſe malam, nihil aliud ſuſcitantem niſi peccandi deſideria, Deumque ejus autorem, quemadmodum

modum & pudoris, nonniſi *erronea* & *blaſphema* opinione dici poſſe? Cujuſmodi doctrinam tantâ conſtantiâ defenſam, ſi propter Ariſtotelicas quaſdam tricas deſerere, aut potius evertere licet, profectò quicquid ipſe de gratia & libero arbitrio dixit, niſi in terminis definitum ſit, eodem jure licebit limatiore quaſi Philoſophia labefacere. Quod ſtrenuè profectò iſto ſeculo à nonnullis Philoſophicæ iſtius ſubtilitatis privilegio factitatum eſt. Eo quippe loci Auguſtini doctrina apud quoſdam venit, tot gloſſis lacerata eſt, tot alieniſſimis directèque pugnantibus interpretationibus velut ruderibus obruta, ut nec ipſe Auguſtinus (flendo non ſugillando loquor) veſtigium ejus reliquum in eorum ſcholis inveniret. Vt longe ſatius eſſet Auguſtino retectâ fronte valedicere, quam tot humanas, ut mitiſſimè loquar, imaginationes, ſub ejus autoritate vendi- tare. Ignoſcat Lector; dolor extorſit hanc parecbaſin: eo quòd tam ſollicitè duorum Pontificum autoritate ab iis oppo- ni videam, qui tantam cœleſtis doctrinæ molem, tantam tot antiquorum Pontificum autoritatem non cõſiderant. Sed quia verum vero non eſt contrarium, nec ſibi-ipſi ſancta, Pontificia, Romana Sedes; omninò ſatagendum eſt, ut ne poſteriores à prioribus Pontificibus receſſiſſe videantur. Itaq; propoſitio quę objicitur neceſſarium habet interpretationis beneficiũ. Siquis enim, quemadmodum ſonat, accipiendam velit, profectò peccatorem hominem ab initio Deus creare potuiſſet, talis enim nunc, nemine Catholico dubitante naſcitur. Quod ſi peccatum excipi merito velis, quamvis nullo modo hoc ſonet propoſitio, excipe igitur eodem jure pietatis erga Deum, quicquid ſine peccato eſſe non poteſt. Talis eſt autem in primis fœdiſſima illa & pudenda concupiſcentia; talis profundiſſima juris naturalis ignorantia, talis eſt malitia quoque voluntatis, quam D. Thomas & omnes ſectatores ejus, vulnus naturæ rationalis omnibus inflictum ſtatuunt. Hæc enim tria tam arctam cum peccato conjunctionem habent, ſive ad illud directè per peccandi deſideria incitando, ſive aliter concurrendo, ut eorum Deus fons omnis honeſtatis, creando autor eſſe non poſſit. Hæc enim ratio eſt, cur habitum malũ ad peccata concitantẽ, creaturæ rationali Deus, ut rectiſſimè multi autores ſentiunt non poſſit infundere. Hæc enim ratio eſt cur Chriſto Domino nemo audet vel ignorantiam illam, vel pudendam concupiſcentiam, vel malitiam voluntatis aſcribere. Quod ſi nemini culpæ vertitur mali habitûs infuſionem à Dei poteſtate removere, ceteraſque fœdiſſimas labes à puritate Salvatoris, qui quicquid innoxium ipſe condere poteſt, aſſumere poteſt; liceat obſecro, profundiſſimo Romanæ Eccleſiæ Doctori, turpiſſima iſta creaturæ rationalis inquinamenta, ſine erroris invidia à Creatoris ſanctitate depellere. Quod nonnulli etiam Scholaſtici maturiori judicio ponderantes apertiſſima rei veritate ducti, concupiſcentiam à Deo puræ naturæ ſtatui vel omninò dari non poſſe ſenſerunt, vel certè auxilio Dei eſſe frænandam. Quam moderationem formido novitatis, non judicium veritatis extorſit. Nam hoc ipſum pœnè perinde eſt ac ſi tollerent; palamque intelligentibus produnt, luctam carnis & ſpiritus eſſe vitium, non naturam creaturæ rationalis; aliterque propoſitionem nobis objectam intelligendam eſſe, quàm patroni concupiſcentiæ ſpiritui rebellantis cum qua naſcimur, vulgo putant. Quod ſi propter conjunctiſſimum cum peccato nexum, concupiſcentia à Dei creatione removeri debet; nulla ratio eſt, cur non omnes illæ pœnæ mortalitatis quas parvulos pati cernimus, ab eadem Dei poteſtate ſeparentur. Nam ſicut Dei ſanctitas, ignorantiæ, concupiſcentiæ, malitiæque concreatione neceſſario polluenda eſt, ita juſtitia ejus, tam dirâ innocentium afflictione violabitur. Vtraque quippe indivulsâ cõjunctione cum iniquitate ſive ſequente ſive pręcedente ſociata ſunt; utrumque pari fiducia Auguſtinus docet, neutrum quod ſciam ante milleſimum annum & ſeculum Scholaſticorum in controverſiam vocatum fuit.

Quid ergò ad propoſitionem quam proſcripſit Apoſtolica Sedes? hæreo, fateor. Sed quid ad doctrinam Auguſtini clariſſimam conſtantiſſimamque quam toties *probavit & ſequitur ſequendamque monuit* Apoſtolica Sedes? Nam ſi fundamentales illæ contra Pelagianam hæreſim doctrinæ proſcribendæ ſunt, non inter *magiſtros optimos* ſemper haberi à Summis Pontificibus, ſed ignaviſſimos haberi debuit: non *cunctis venerationi & amori* eſſe, ſed contemptui. Nemo quippe obtuſius cauſam Eccleſiæ contra Pelagianam puræ naturæ machinam defendit unquam, nemo miſerabilius prodidit. Quid enim ineptius, quid hebetius, quid infamius Eccleſiæ victricis armis, quam homines Scholaſticorum omnium judicio rem poſſibilem, imò prorſus congruam humanæ conditioni maximeque naturalem aſſerentes, velut impoſſibilia, impia, injuſta, blaſphema commenta delirantes redarguere? Hic pugnent ac triumphent, qui Eccleſiæ perniciem meditantur; non Auguſtinus non quicunque tandem de fæce pugil in Eccleſiæ cauſa Chriſtianus. Ne igitur Pontificiam Sedem in pugna ſecum relinquamus, nihil arbitror oportunius, dici poſſe, quam Romanam Eccleſiam cui non minus pax, quam eruditio filiorum ſuorum cordi eſt, prudentiæ directricis cenſuram ediddiſſe. Multæ quippe doctrinæ ſubinde magis inuſitata ſua novitate quam falſitate perturbant. Ex quo fit ut nonnunquã proſcribantur nonnullę propoſitiones, de quarum veritate nihil non modo decreverit, ſed nec decernere ſe velle profiteatur. Vt alibi pluribus, ni fallor, diximus. *Vide. l. 4. de ſtatu nat. lapſæ c. ult.* Hoc igitur tanquam prudens mater, etiam hic merito ſibi uſurpandum eſſe duxit. Cùm enim cerneret hanc propoſitionem, *Deus ab initio talem potuit creare hominem qualis nunc naſcitur*, communi Scholaſticorum conſenſu, certo ſenſu in

ſcholis

ſcholis receptam eſſe, ne contraria lites, offenſiones & ſcandala ſua novitate generaret, ſicut jam ipſa Bulla teſte generare cœperat, eam tantiſper vetandam cenſuit non tanquam falſam, ſed ut pacis inimicam. Quod ſi vel tunc oſtendi potuiſſet, hanc aliaſq; nonnullas propoſitiones ab Auguſtino Doctorum omnium Coryphæo tam intrepide à tot ſeculis eſſe nemine refragante, ſed Eccleſia Romana per diverſos Præſules ſuos applaudente traditas, abſterſa videlicet per tanti Doctoris autoritatem & antiquitatem, opinione falſitatis, offenſaque novitatis, nunquam arbitror hujuſmodi decretum ab Apoſtolica Sede promanaſſet, quod nulla conciliandæ pacis extorqueret neceſſitas. Quæ conciliandi ratio eo videtur eſſe genuinior quod duobus modis Bullæ cõgruat. Nam & ad litterã propoſitio iſta cenſura ſtringitur, quatenus proſcribit offenſivas (ſufficit enim una eſſe Sanctionis parte cõprehenſam) & aliqua ratione, ut verba ſonant, ad mentem autoris defendi poſſe decernitur. Quibus A enim propoſitionibus hoc verius & juſtius applicueris, quam quæ præpoſtera quadam philoſophandi cura, cùm obliteratæ fuerint, à ſancto Auguſtino traditas ac fortiſſimè defenſas eſſe non ambiguâ principiorum ejus demonſtratione, & undique conſonanti teſtimoniorum acclamatione convincitur? Quâ de re fuſius alibi diſſertum eſt. Aliam per me licet quærat, cui iſta non ſufficit ſolutionem: ſed ita quærat, ut meminerit, ſic ſibi ſartam tectamque tuendam recentiorum Præſulum Apoſtolicæ Sedis autoritatem, ut ne veterum ac plurium pernicioſius lædat. Nam futilibus gloſſulis apertiſſimæ doctrinæ molem, ad novos præoccupatoſq; torquere ſenſus, de quibus Auguſtino nunquam vel per ſomniũ in mentem venit, non eſt Aug. doctrinam pro ſua, ſed ſuam in Auguſtino quærere; non veritatem indagare, ſed obruere. Quod ſæpius à multis in rebus capitalibus cum indignatione & gemitu factitatum vidi.

# F I N I S.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN